

Weidmann.

Accepi e manib. fratr. dilectiss.
Erlang. 18 23/IX 44.

Dias

COMPARATIO
INTER
SECTIONEM CAESAREAM
ET
DISSECTIONEM
CARTILAGINIS ET LIGAMENTORVM PVBIS,

IN PARTV, OB PELVIS ANGVSTIAM IMPOSSIBILI,

SVSCIPIENDAS,

QVAM

EX VNANIMI CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE

VNA CVM

POSITIONIBVS EX VNIVERSA MEDICINA

PRAESIDE

PERILLVSTRI, CLARISSIMO, DOCTISSIMO, CONSVLTISSIMO, ET EXPERTISSIMO VIRO AC DOMINO

D. CAROLO CASPARO SIEBOLD

MED. DOCT. ANAT. CHEIR. ET ARTIS OBSTETR. PROF. PVBL. ET ORD. REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOP. BAMBERG. ET WIRCEB. FRANCIAE ORIENT. DVCIS CONSIL. AVL. ET ARCHIATRO, NOSOCOMII PRINCIPALIS IVLIAEI CHIRVRG. PRIMAR. CAESAR. LEOPOLD. CAROL. ACADEM. NAT. CVRIOS. COLLEGA, ACADEMIAE ELECTORAL. MOGVNT. SCIENT. VTILIVM SOCIO,

PRO GRADV DOCTORATVS MEDICI

DIE NONA SEPTEMBRIS CIↃ. IↃCC. LXXIX.

IN AVDITORIO MEDICO PROPVGNABIT

IOANNES PETRVS WEIDMANN,

TOLPIACVS, PHILOSOPHIAE DOCTOR.

Wirceburgi, Typis Franc. Ernesti Nitribitt, Vniu. Typographi.

45

Neque addicta alterutri opinioni, neque ab vtraque nimium abhorrentia, ſed media quodammodo inter diuerſas ſententias. Quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, ſine ambitione verum ſcrutantibus perinde vt in hac ipſa re. A. C. CELSVS in Praefat. Lib. I.

EMINENTISSIMO
AC
CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CAROLO
IOSEPHO,
S. SEDIS MOGVNTINAE
ARCHIEPISCOPO,
S. R. I. PER GERMANIAM
ARCHICANCELLARIO
ET
PRINCIPI ELECTORI
VT ET
EPISCOPO AC PRINCIPI
WORMATIENSI

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

EMINENTISSIME
AC
CELSISSIME

PRINCEPS ELECTOR

DOMINE CLEMENTISSIME!

Quam in me, EMINENTISSIME ELECTOR! Medicinae ac Cheirurgiae ſtudioſum hactenus profudiſti, clementia effectus eſt paternae illius ſollicitudinis, qua charos TIBI ſubditos foues. Perſuaſus cum ſis vel maxime,

me,

me, quam arcto nexu profperitas prouinciae cuiuspiam ac optimorum ciuium incolumitas cum cheirurgiae flore coniuncta fit; me, CLEMENTISSIME ELECTOR! nihil horum promeritum elegifti, qui aliquando fapientiffimae TVAE in hac re prouidentiae fubueniret. Eo fine victum mihi non folum ac neceffaria quaeque, ad ftudia mea profequenda, fed et Examinum, Differtationis, et Promotionis fumtus gratiofiffime fubminiftrafti.

Emenfo iam ftudiorum curfu in publicum procedo, daturus facultatis, quae in me fit, clementiffima TVA pro falute fubditorum confilia exfequendi, argumentum, ac non indignum me demonftraturus, quem deinceps in fufcipiendis erudi-

tis

tis itineribus gratiosissima TVA protectione sustentes.

Liceat igitur mihi, EMINENTISSIME ELECTOR! hoc qualecunque contentionis meae specimen Clementissimo Nomine TVO initiare, vt et ex hoc orbi pateat paterna TVA in subditos sollicitudo, et munificentissima vtilium artium et scientiarum Protectio, vtque demississimae gratitudinis et profundissimae reuerentiae, qua Clementiam TVAM suspicor, existat monumentum. Sum TIBI

EMINENTISSIME
ELECTOR

Seruus demississimus
Ioannes Petrus Weidmann.

COMPARATIO INTER SECTIONEM CAESAREAM, ET DISSECTIONEM CARTILAGINIS ET LIGAMENTORVM OSSIVM PVBIS.

Ex quo tempore magni medici ſcientiam artemque obſtetriciam colunt et exercent, perfecta quidem in ea multa ſunt, et plurima fere peracta; dolendum vero eſt ſummopere, ſupereſſe vltimam, maxumam difficultatem, quae eſt in diiudicandis peluium vitiis, illis potiſſimum, quae partum aut difficilem reddunt, aut periculoſum, aut impoſſibilem. Vitia illa, de quibus antiquioribus minor,

vel nulla cognitio fuit, hucuſque fere ſola ſectione caeſarea (operatione, qua per inſciſum abdomen et vterum foetus extrahitur) ſuperandi lex fuit; annis vero paulo ſuperioribus D. SIGAVLT medicus et obſtetricator pariſienſis, illius loco diſſectionem cartilaginis et ligamentorum, oſſa pubis connectentium ſuſcipiendi, et caeſaream ſectionem expungendi, et omnino relinquendi ſuaſor authorque eſſe incepit. Cum SIGAVLTIO ſentiunt alii; alii et multi et magni obſtetricatores diſſentiunt, et per diſputationes magnae contentionis ſynchondroſeos pubis diſſectionem non admittendam eſſe, ſed repudiandam conſtituunt. En litem magnae aleae! moleſtamque, cuiuis publici boni, et felicitatis amanti, dubitationem! Facturus ergo non ſim male, ſi in adeo magna re, et ardua, veluti haec eſt, quantum per vires et otium licet, agere aggrediar; cum res haec ab artis noſtrae ſummis principibus non ſatis agitetur, et mihi, vtrique operationi, ſectioni caeſareae et diſſectioni ſynchondroſeos pubis a clariſſ. meo PRAESIDE factis, bona fortuna interfuiſſe, et cum illo multum deſuper deliberaſſe, obtigerit. Equidem non ſuſceperim totam rem hanc peragere, et ab omni dubitatione abſoluere, quod

per

per ſolam et multam experientiam ſerius forte, et per doctiores me dabitur: ſolum mihi animus eſt, vtriusque operationis hiſtoriam veluti ex parallelo ſibi inuicem opponere, et noſtros caſus ſubiungere, et indicare, quae maxume ex vtraque parte difficilia vel ſint, vel commoda, et perquirere, an haec vel illa magis, et quando conueniat, et vtriusque operationis methodum perſtringere, et noſtrae opinionis hinc inde aliquid interponere. Faxint ſuperi! vt per contentionem meam lucri aliquid et arti noſtrae et publico commodo, quae me ſpes valde tenet, apponatur; vt artis proceres agantur in maiorem huius rei curam; vt diſcuſſis omnibus dubitationibus coaleſcant tandem medicorum de hac re animi et opiniones, certamque dein normam, quam quisque obſtetricator teneat, conſtituendi facultas fiat.

HISTORIA SECTIONIS CAESAREAE.

Sectionem caeſaream, quam et hiſterotomiam vocant, in matribus mortuis faciendam eſſe operationem antiquam, et annales referunt, et lex romana ſuadet a): vtrum vero tum in viua vnquam ſuſcepta fuerit, latet. Credere tamen malim ſuſceptam non fuiſſe; cum in actis medicis de ea tum peracta, quantum ego reſcire potui, nihil mentionis habeatur, cumque cheirurgia, tum minus culta neque eo auſa, neque crebra adeo neceſſitate adacta fuerit; ſiquidem neſciuerint rachitidem, et quae ex ea in pelui fiunt, anguſtias et diſtorſiones. Illam vero primo in propria vxore feliciſſime inſtituiſſe IACOBVM NVFER, orchotomum, ex pago Siegershauſen, praefecturae Gottliebanae, refert CASPARVS BAVHINVS in appendice ad ROVSSETVM, qui eandem primus proponit, neceſſitatem eius et poſſibilitatem probat, exempla affert peractarum feliciter in ſeptem foeminis operationum, vnamque ſexies ex illa ſaluam euaſiſſe; ſeptima vero vice, mortuo, qui olim operatio-

nem

a) *Negat lex regia, mulierem, quae praegnans mortua ſit, humari, antequam partus excidatur, qui contra fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videtur. Leg. 2. ff. de mortuo inferendo.*

nem perfecerat, cheirurgo, interiiſſe. b) Paullo ante editum librum ROVSSETI AMBROSIVS PARAEVS in tractatu de generatione dicit c), ſe a viris probis, et omni fide dignis accepiſſe: cheirurgum VINCENT Fontisbellaquei hac operatione matrem et foetum ſeruauiſſe, illam tamen vt miraculum habet. Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo CASPARVS BAVHINVS librum ROVSSETI ex idiomate gallico in latinum transfert, et varios felicesque ſectionis huius ſucceſſus ſuperaddit. Interim multi ab opinione ROVSSETI alieni ſunt; ROVSSETVS ſuae ſententiae apologiam d) ſcribit, quam acriter impugnat cheirurgus Pariſienſis MARCHAND e), negat huius operationis felices ſucceſſus a ROVSSETO euulgatos; addit dein ſectiones a GVILLEMAEO, PARAEO, CARBONETO, BRVNETO et VIARTIO ſuſceptas funeſtas fuiſſe. Contendit dein valde, ſectionem caeſaream euitari ſemper poſſe. Liber hic nitidus eſt, maculatus vero iniuriis ſatyrisque literato et cuiuis bo-

b) *Traité nouveau de l' Hyſterotomotogie ou enfentement caeſarien Paris* 1531.

c) *Cap.* 33.

d) *In* FRANCISCI ROVSSETI *apologiam* IAC. MARCHAND *Regis et Pariſienſis Chirurgi Declamatio.*

no indignis. Adiunctae illi libro ſunt literae GVILLEMAEI ad ROVSSETVM,* in quibus rationes ſuas contra ſectionem caeſaream profert. Protinus et docte reſpondet ROVSSETVS f), fretus rei ſuae bonitate. — Litigatio ceſſat, et alter operationem caeſaream ſucceſſu bono et commodis, alter malo et difficultatibus non carere ſuſtinuit. Declamationes MARCHANDI, forte et malus hinc inde operationis euentus, vix non omnem capiundi ex illa praeſidii ſpem et conatum extinxerant. Altum iam de illa ſilentium eſt. Anno 1590. ROVSSETVS denuo librum ſuum g) latine edit auctum et rationibus et experientia. Eriguntur in nouam ſpem et contentionem cheirurgi. Poſt SCIPIO MERCVRI h), ALBOSIVS i), ROONHVISEN k), THOM. BARTHOLINVS l), SAVIARD m), IOBERT n), LANKISCH o), RV-

LEAV

* IACOB GVILLIMAEVS *Regis et pariſ. Cheirurgus* FRANCISCO ROVSSETO *ſalutem dat.*

f) F. ROVSSETI *reſponſio ad* IACOBI MARCHANDI *declamationes.*

g) *Caeſarei partus aſſertio hyſteriologica. Paris* 1590.

h) *La commare oruceoglitrice.* 1604.

i) SCHENK. *Obſeru. rarior.*

k) *Obſeruationes de morbis mulierum Vitenbergae* 1695.

l) *Obſeru. anat. centur.* 2.

m) *Iournal des ſçauans.*

n) *Ibidem.*

o) *Acta eruditorum Lipſ. anni* 1693.

LEAV p), DE LA MOTTE q), VATER r), aliique felicis huius operationis euentus exempla dant. Anno 1739. academia regia cheirurgorum parisiensis vxorem CAROLI MEGRET ex pago Guise, ex sectione superstitem integramque accersiri iussit et obseruauit s). VRBAN medicus ardennensis academiae dictae retulit, cheirurgum de Thise operationem caesaream in tribus foeminis t) felicissime, NOYER se in vna in vrbe Isserteaux euentu simili perfecisse v). Anno 1740. D. SOVMAIN cum academia R. Cheirurg. Paris. casum sectionis caesareae felicissimae reliquis exactiorem communicauit v). Anno 1741. cheirurgus primarius parisiensis nosodochii (Bicêtre dicti) operationem hanc in foemina syphillide correpta cum euentu optimo instituit, quod testatur vidisse se archiater suecus HERMANNVS SCHVZER w).

Anno 1758. iam dictus SCHVZER operationem caesaream in nana triginta annorum, quae per tres iam dies

p) IEAN RVLEAV *traité de l'operation caesarienne et des accouchemens difficiles et laborieux Paris* 1704.

q) DE LA MOTTE *traité complet des accouchemens naturels et non naturels etc.*

r) *Dissertatio de partu caesareo Vitenbergae* 1695.

s) *Tom. I. parte III.*

t) *Ibid.*

v) *Ibidem.*

w) *Schwedische Abhandlungen B.* 30.

dies doloribus ad partum fatigata erat, effluxisque aquis, praesentibus archiatro REEF, professoribus ACREL et MARTIN instituit; operata vsque in diem tertium omnem spem restitutionis dederat; verum imprudenter e lecto surgit, aliquamdiu erecta trunco sedens lintea mutat. Quarto die diarrhaea sequitur, et mors. Exenteratio monstrauit vulnus vix non omnino coalitum; vterum, et pro eius ratione vulnus, contracta, vt vteri moles esset mediocris pugnae magnitudine; adeo vt mortis caussam in aegrae imprudentiam coniiciendam esse merito statui posse putet x). Comes DE TRESSAN narrat: se foeminam quarto die post operationem caesaream, quam iam septima vice perpessa fuerat, vidisse alacrem, animosam; superstites integrasque quatuor illarum prolium sectione seruatarum y). D. PIETCH refert, et se non solum felicem semel euentum sectionis caesareae expertum esse, sed etiam D. GAILLOTVM; qui, licet horizontalem incisionem costas versus supra vmbilicum fecerit, intellecto turpi errore dein inscisionem

versus

x) *Ibidem.*

y) *Iournal de medecine, chirurgie et pharmacie etc. par* M. ROVX *D. R. iuillet-decembre* 1770. *tom.* XXXIV. *Paris.*

versus pubem direxit, adhibitis aliquibus suturis aegram tamen in sanitatem reduxit z). Celeberrimus HENCKEL dum Berolini operationem caesaream, ob peluis angustiam in persona triginta septem annorum, etiam effluxis modo diu aquis, instituit; inscisionem sub vmbilico in lineam albam, et vterum octo pollices longam fecit. Foetus pedibus feliciter, post placenta facile educuntur, vulnus emplastris continetur, aegra fluentibus rite lochiis bene se habet, die tertia eleuat se, et dein in latus decumbit, fit vomitus, inde intestina e vulnere erumpunt, iis vtut caute repositis, vomitus non cessat. Altero die extincta est a). D. COOPER infaustum in duabus matribus operationis huius euentum expertus est. Operatarum prima 26, altera aliquibus tantum ab operatione horis expirat; in illa thrombum coagulati sanguinis vnciarum 20. vulneri vteri et intestinis incumbentem b), in hac ossa omnia, praesertim peluis et spinae adeo mollia, vt scindi, veluti caro, potuerint, reperisse c) refert. — GEORGIVS WILHELMVS STEIN Med. Doct. medicus au-

z) *Ibid. tom. XXXVI.*

a) I. FRIDRICH HENKEL *neue medicinische vnd chirurgische Anmerkungen zweite Sammlung. Berlin vnd Stralsund.*

b) A. G. RICHTER *chirurgische Bibliothek ersten Bandes 4. St. p. 36.*

c) *Ibid. 4. Bandes pag. 65.*

licus et obſtetricator celebris Caſſellae bis operationem hanc vtut caute ſuſcepit, vterque tamen euentus funeſtus fuit matribus. Perſona prior pepererat modo ter, partu primo in vitae periculum adacta fuerat, in altera D. STEIN, propendente funiculo vmbilicali, acto in oſſe pubis capite, doloribus raris, et inefficacibus, foetus difficulter vertitur, difficillime caput extrahitur, valde compreſſum et complanatum. Ab annis duobus aegre praegnans in noſodochium redit. Renuit operationi caeſareae ſe ſubdere, fit iterum verſio; capitis extractio artem per duas horas fatigat, exempto tandem cerebro cedit. Foetus ante verſionem vixiſſe, ſigna habuit. — Redit poſt, quarta vice praegnans, in noſocomium; ad terminum os vteri pateſcere incipit, erumpit liquor amnii, caput vero facie dextrorſum verſum non ſuccedit. Dolores per duodecim horas acriter vrgentes nil profuere. Cl. STEIN operationem proponit, quae ſuſcipitur, perpeſſis per 30. horas fruſtra doloribus. Operatio in latere ſiniſtro fit, arteriae muſculos abdominales percurrentes perſciſſae ligaturis obturantur, per peritonaei vulnus, digiti vix capax, ſcalpellum ad apicem orbiculatum duce indice dilatatur ad ſeptem pollicum longitudinem.

Foe-

Foetus et placenta facile educuntur, facile itidem intestinorum, quae succedit per vulnus portio aliqua, reponitur. Sutura iniicitur, haec operationis reliquos dolores longe superat. — Sub vesperum secundi post operationem diei operata vix non ex improuiso moritur; cadauer vix aliud notandum quid exhibet, quam colli vteri sphacelum. Linea parua (coniugata) peluis habuit vncias duas et mediam. — In altera persona 30. annorum, mali corporis habitus, querente de dolore vehemente lateris, ore vteri sub initium partus paulum sinistrorsum sito, foetus capite retro illud, valde tamen adhuc alto; facie dextrorsum respiciente, peluimeter aperturae mediae distantiam exhibebat vnciarum trium. Perpessis per 24. horas doloribus fit operatio in latere dextro, perscisso vtero operator sub scalpro offendit placentam, vulnere adhuc paruo multus cruor effluit, finitur cito dilatatio, placenta immissis ambabus manibus deglubitur, illaque vna cum foetu educitur; haec cito vtut fiunt, constringitur tamen foetus collum vulnere vteri, vt labor fuerit educendi foetus caput. Perdita fors fuit cruoris libra. Aegra post vomitibus diris corripitur; e vulnere sanies foetidissima fluit, illudque partim gangre-

nosum fit, partim cancroideum. Mors. Vomica est inter stomachum lienque, intestina totaque interna vteri superficies gangrenosa. D. STEIN mortis caussam in lue venerea ponit. Pleniorem de hisce historiam vide d). — IOHN VAVGHANS Med. Doctor Leicestri refert, anno 1776. partum caesareum fuisse celebratum in foemina quinquipara, post vltimum felicemque partum paralysi artuum inferiorum, et inde contorsione spinae et peluis correpta, in nosocomio ibidem per sex menses curata, multumque emendata. Dolores ad partum per duos dies efficiunt fere nihil, obstetrix peluim angustam esse agnoscit; aduocatus D. ATKINSON cheirurgus Leicestri angustiam illam insolitam esse reperit, immittere manum in peluis cauum nequit, diameter ab ossibus pubis ad os sacrum habet vnciam vnam cum semisse, VAVGHANS aliique in auxilium vocantur, aegra exhaustis viribus in portatili in nosocomium defertur, explorant septem medici, vnus spem habet vncis extrahi fors foetum posse, ideo sex adhuc horae expectationi dantur, nec spes aucta est, foetus vitae signa dat.

Per-

d) G. WILHELM STEIN, *practische Abhandlung von der Kaisergeburt in zwo Wahrnehmungen. Cassel 1775.*

Perpenſis igitur omnibus concluditur operatio caeſarea, eam inſtituit ATKINSON, e vulnere quatuor pollices longo in vterum facto placenta protruditur, quae a miniſtro experto auſertur, extrahitur foetus viuus, vulnus continetur, haemorrhagia vix notabilis eſt, inteſtina protruſa, reducuntur, ſuturae iniiciuntur; poſt operationem dantur paregorica, emollientia, clyſmata, fomenta. Altero die inter interſtitia ſuturarum inteſtina exeunt, ATKINSON aegram toto corpore frigeſcentem, pulſu valde debilem deprehendit; repoſitis inteſtinis, poſtero die melius iterum habet; tertia poſt operationem die multa vomitu reiicit, in peius ſymptomata mutantur, et quarto die animam reddit. Sectio cadaueris: Venter et inteſtina flatibus valde intumida, in cauo abdominis portio aliqua atrae foetidaeque materiei eſt, portio parua inteſtini ilei gangrenoſa, vteri, modo contracti vulnus non conſolidatum, illiusque pars, quae oſſibus peluis incumbit, ſphaceloſa.

PETRVM ZIMMERMANNVM in Comitiſſa de Cheirey in Tranſiluania operationem caeſaream peregiſſe, eduxiſſe primo foetum formoſum, dein connatos duos, matremque integritati reſtitutam fuiſſe, et in nouellis pu-

blicis euulgatum fuit e), et IOANNES MELCHIOR GVETHE in fuis aduerfariis medico practicis refert. Etiam in noftra plaga rumor eft; factam fuiffe hanc operationem a medico St. cum peffimo euentu. Orandus ille medicus eft valde, vt rem totam, fi in publicum bonum conferre aliquid voluerit, vtcunque fe res habeat, cum literatis communicare non recufet.

Igitur operationem caefaream primus fuafit ROVSSETVS, eumque fecuti funt BAVHINVS, THOMAS FIENVS, FRANCISCVS PAVLINVS, ANDREAS LAVRENTIVS, MAVRITIVS CORDAEVS, FELIX PLATNERVS, ROONHVISEN, VAN HORNE, PORTAL, BAVDELOVQVE, LEVRETVS, MONROO, SMELIIE, BOVRDON, ROEDERER, STEIN, PLENCK aliique, et neotericorum plurimi. Aduerfabantur olim PARÉE, MARCHAND, GVILLEMEAV, MAVRICEAV, DOLAEVS, DIONYSIVS, hodiedum CRANZ, SIGAVT, LE ROI, facultas medica parifienfis.

CA-

e) *Frankfurter Ober-Poft-Amts-Zeitung vom* 8. *April* 1778.

SECTIONIS CAESAREAE CASVS NOSTER.

Catharina Koch, annorum 34, quondam affecta rachitide, inde cruribus valde retortis, osse sacro impresso, totaque statura quatuor pedum longitudinem vix excedens, tum tamen sana, ante nouem annos parturiens, a clarissimo PRAESIDE auxilium accersit. Ille exploratam peluim adeo angustam deformemque reperit, vt foetus viui partum non, nisi caesareum possibilem esse statuerit. Alii medici in consilium a Cl. PRAESIDE vocati, amplectuntur foetus versionem, sectionem caesaream, vt periculosam matri et honori artis pertimescunt, repudiant, nec auelli ab opinione, in quam induxerant se, possunt. Fit versio, foetus magno et difficili labore ad collum vsque extrahitur, vlterius nulla vel vi vel arte caput vrgeri nequit, foetus paulo ante viuus vegetusque animam vitamque perdit; a capite truncus abscindi debet; et en nouas angustias! foetus capiti extrahendo nullae vires, nulla, alias valde potens, cari magistri mei ars sufficit, cerebro exitus datur, nec tamen capitis eductio melius cedit, magister meus exhaustis suis viribus aegram sorti relinquere cogitur.

De

De nocte vero aegra comminuti maceratique capitis reliquias doloribus monita feliciter enititur, protinus redit noua ſpes, ſenſimque integritas.

Ante annum ex clandeſtino amore denuo impraegnata huc circa ſextum grauiditatis menſem magiſtrum noſtrum conſultum redit. Perſcrutatur is denuo peluim, nec haeſitat ſtatuere, ſectionem caeſaream tutius eſſe et ſolum pro matre foetuque praeſidium. Hanc aegra etiam, quin haeſitet, amplectitur. Interea aegram magiſter noſter crebro nobiscum inuiſit, tactuque explorat, et de ratione partus caeſarei inſtituendi multa ſecum animo voluit reuoluitque. Vigeſima Septembris 1778. ceperant iam dolores praeſagientes dicti ad partum modo monere; ad horam quintam circa veſperum adaptatis paratisque iam pridem ad operationem neceſſariis cum magiſtro noſtro accurrimus diſcipuli. In conſilium vocantur Profeſſores SENFT, STANG, et Medicus aulicus EHLEN. De operationis neceſſitate conuentum eſt cito. Magiſter noſter iam nos ad iuuandum aptat, et ad operandum accingit ſe. Parturiens in menſam culcitris munitam decumbit, et ab adiuuantibus condiſcipulis meis, ne in operatione recalcitret, figitur. Abdomen

domen in dextro hypochondrio eminentius Levretiano ad hanc operationem cultello aliquantum, fors vltra ſeptem pollices, inſcinditur, inciſio aduerſus vmbilicum incipiens, ab eo vero ad medium pedem diſtans oblique verſus annulum abdominalem huius lateris dirigitur. Inciſis ita ſine magna haemorrhagia integumentis, muſculis, peritonaeo, caute per vterum penetratur, dilataturque ad parallelum ſuperiori, adeo vt placenta ſuperius loco inciſionis inhaerens diſcindi etiam debuerit (ſubſtantia vteri quinque, ni fallor, lineas craſſa eſt) erumpit ex vtero amnii liquor, et ex vaſis praecipuae placentae diſciſſis multum cruoris. Ad vulnus brachium ſe offert, caput inique in peluim parumper adactum praeuium educi non poteſt, corripiuntur pedes, ſicque educitur foetus ſanus, toroſus, nos valido ploratu ſalutans. Contrahit ſe confeſtim vterus, haemorrhagia minuitur, ſoluuntur contractione vteri ſecundinae, in vulnus vrgentur, ſicque caute et facile educuntur. Vulnus ſpongiis molliſſimis cohibetur, et cruor, quantum licet, abſtergitur. Omentum in angulo ſuperiore vulneris parum protuſum reponitur, vulneris labia emplaſtris adducuntur ad ſe, et adducta retinentur, impo-

nuntur vulneri lintea carpta oleo tepido imbuta, ſplenia, quibus vulnus confirmatur, totumque abdomen fouetur emollienti decocto, madefacta ſunt, dantur opiata, dumque ſitis monet, potus acidi. Poſt vomiturit diu, tandemque circa vndecimam fit vomitus, in quo muſculi abdominales adeo magna vi contrahuntur, vt ſumma contentione adhibitisque omnibus viribus continere vulnus nequiuerim, et ex vaſis diſciſſis noua haemorrhagia facta fuerit. Aduoco condiſcipulum excubias mecum agentem, vtque mecum abdomen ſuſtineat, rogo. Ceſſante vomitu inſpicio vulnus, perculſus video inteſtina tenuia cum omento ad molem duarum pugnarum inferius extra vulnus expreſſa, quae dein inunctis oleo manibus molliter repono, nouamque deligationem facio. Coactus manum intra cauum abdominis immittere, offendi vterum modo contractum ad pugnae maioris molem. Iam curo, vt aegra cubet collo inflexo, demiſſo pectore, eleuatiori paulum pelui, attractis femoribus. Repetuntur paregorica, vomitus inuadit, tamen denuo dolores acerbi poſt auroram remittunt, pulſus antea debilis inſurgit, calor naturali maior eſt, aegra ab omni fere potu, excepta limpida aqua, nauſeat.

Abdo-

Abdomen intumeſcit emollientibus fotum, reſpiratio difficilis, per vuluam lochia effluunt. Fit circa veſperum primo ab operatione die deligatio, vulnus vnitum eſt, ex inferiore vero angulo eius parum hiante ſanguis dilutus ſtillatim effluit. Poſt deligationem vehemens dolor aegram corripit, pulſu duro, educuntur vnciae ſex ſanguinis inflammatorii, dein dolor ceſſat. Aluus binis cliſmatibus non reſpondet. Nox ſomni aliquantum fert aegrae, vomituritionibus tamen interrumpitur.

Secundo die poſt operationem a mane aegra exhibet linguam albidam, ſerenam ſatis faciem, reſpirationem heſterna liberiorem, pulſum vero frequentiorem, cutim ſiccam, calentem, tumidum abdomen vt heri eſt; nitroſa et acida aegram in vomitum cient, quandoque dolores diriſſimi in ventrem ſaeuiunt, qui placidum ſomnum iam excipiunt, iam afferunt, iam et crus ſiniſtrum inuadunt, et brachium, et coſtas; ideo hypochondrium ſiniſtrum attactum non fert. Aluus cliſmatibus immoriger eſt; fomenta emollientia vino rubro et ſale ammoniaco acuuntur. Sub veſperum depoſita aluo dolor, et quae antea tactu ſentiri potuerat durities, euanuere, vomituritiones de die frequentes ſunt, vomitu binos lum-

 bricos

bricos magnos cum aeruginoſa materie eiicit, reſpondet aluus. Nox doloribus atrocibus regiones hypocaſtricam, vmbilicalem, et illiacam quaſi exurentibus in aegram ſaeuit. Ructus, ſingultus frequentes ſunt, aegra nihil niſi limpidam aquam ingerere poteſt, de nocte ſomnus nullus, deligationes vt heri.

Tertio die a mane demum ſopiuntur tormina, vomituritiones, vomitus, oculi truces concaui, facies iam pallida eſt, iam iterum rubeſcit, pulſus per interualla iam durus eſt, iam celer, iam debilis, imo et intermittens, mox iterum magnus et ſat bonus. In vulnere puris aliquantulum videmus. Fomenta ex ſpiritu vini camphorato fiunt, quae aegra male fert, vomitumque ciere videntur; vomitus bilioſus eſt. Suſtinendis viribus iura carnium propinantur.

Quarto die, ſomno fere nihil refecta aegra vomit, dolet, vomitu iterum tres vermes eructat, haemorrhagia vomitibus recrudeſcit, abdomen tumidum tenſumque eſt, pulſus varians, mens tamen ſemper conſtans; vulnus pauco bono pure tectum iniectionibus molliſſimis eluitur. Haerens in inferiori angulo inteſtinum ſenſibile eſt, effluit ſemper corruptus ater dilutus.

que

que cruor, clyſmate aluus ſoluitur, fomenta frigida toti abdomini imponuntur, faſcia arctius conſtringitur. Sub veſperum poſt multos conatus lumbricus iterum euomitur, perſtant vomituritiones vomitusque bilioſi, ſingultus rarior eſt; lac aqua dilutum bibendum datur.

Quinto die deligatio eadem, abdomen minus et tumidum, et tenſum eſt, pure bono vulneris ſuperior pars obſita. Inteſtinum, quod in inferiore vulneris angulo tangi poteſt, ſenſibile adhuc, effluens ater diſſolutus cruor, iniectionibus eluitur. Fomenta eadem, potus lac aqua; de caeteris nihil fert. Pulſus inconſtans, vtplurimum tamen celer eſt. Saepe comatoſa iacet apertis oculis. Solo ructu iam facile et crebro redditur limpidus et gelatinoſus humor. Sub veſperum reſpiratio frequentior eſt et anheloſa, pulſus exilitate fallit tangentem digitum, cutis ſicca eſt, oculi magis truces, vox rauca, extremitates frigeſcuunt, vomitiones ceſſant, ſenſus hebeſcunt, decubitus incomptus eſt, venter detumuit, minusque tenditur.

Sexto die eadem ſymptomata in peius aucta.

Septimo die mors.

Octauo die poſt prandium a Cl. PRAESIDE fit

SECTIO CADAVERIS

Praesentibus Professoribus SENFT, STANG, Medico Aulico EHLEN, et condiscipulis meis, et me. Obseruamus abdomen collapsum, angulum vulneris inferiorem materia liuida obsitum. Aperto cruciatim abdomine, intestina flatibus tumida, portionem omenti, et quae adiacent intestina circa vulnus cum peritonaeo concreta, excepta aliqua portione, quae se in angulo inferiore vulneris hiante offert, per quam atra materies adhuc effluit. Quae in regione lumbari sinistra sita sunt intestina, hinc inflammata vel gangraenosa, illinc pseudomembranis tecta; in regione vmbilicali et hypogastrica omentum intestinis accretum, quod facile tamen digitis separari potest; omentum hinc inde, speciatim circa vulnus gangraenosum. Partes mesenterii supra fundum vteri, qui omnino sanus est, positae, cum illo ita coalitae, vt digitis tamen itidem separari possint; in regione lumbi, et ilii dextri inter vteri vulnus et intestinum coecum et peritonaeum multum atri corrupti cruoris. Vterum pugna non maiorem, oblique versus ilium dextrum parum declinatum, ita vt vulnus vteri, dex-

trorsum

trorſum inter fundum et collum eius factum, reſpondeat angulo inferiori vulneris in abdominis carnes facto; ſanguinem grumoſum parum diſſolutum inter veſicam et inteſtinum rectum. In ventriculo lumbricos duos, in inteſtino duodeno viginti, in ieiuno et ileo nouendecim plerosque ſatis magnos. Perluſtrantes oſſium peluis ſyntaxin, videmus

Peluim minorem in magna aperturae ſuperioris diametro habere . . .	4 poll.	6 lin.
In coniugata . .	2 —	7 —
In altitudine ſynchondroſeos pubis	1 —	4 —
In latitudine oſſis ſacri .	4 —	2 —
In exitu extremitatis oſſis ſacri ad arcum pubis . . .	3 —	6 —
Diſtantia oſſis iſchii ab extremitate ſacri	3 —	—

Eductus operatione infans per tres ſeptimanas bene valuit, poſt vero per totum corpuſculum vlceribus fere ſiccis et calloſis, totam pene cutim a capite ad calcem obſidentibus corripitur, tandemque emaciatus extinguitur. Vlcera illa venerea fuiſſe ex eo liquet, quod nutrix illa mamma, qua hunc caeſarem nutriuit, etiam expoſt vlceribus infecta fuerit, proprius vero infans alio

vbe-

vbere lactatus cum ſuo vbere integer manſerit. Nutricis etiam vbera mercurio perſanata ſunt. Ergo operata et virus venereum in ſe habuit.

HISTORIA DISSECTIONIS CARTILAGINIS ET LIGAMENTORVM PVBIS.

Dixi iam, quae maxime memorabilia circa hyſterotomiam habentur in actis medicis, proximum nunc eſt opponere ſynchondrotomiae ortum, progreſſum, fata.

Dominus SIGAVLT medicus pariſienſis inductus acerbitate et periculis hyſterotomiae anno 1768. Academiae regiae cheirurgorum Pariſiis libellum dat, in quo primus cartilaginem, et ligamenta oſſa pubis nectentia, in partu ex anguſtia peluis vel impoſſibili, vel periculoſo, diſcindenda eſſe proponit; capiunda vero antea in animalibus, dein in mortis rea experimenta eſſe. Societas regia D. RVFFELIO examen nouae huius operationis confert. Alienum RVFFELII iudiciuum eſt a propoſi-

tione

ſitione SIGAVLTII, quae vt nouaturientis, et nulla a Societate regia reiicitur. CAMPERVS celebris inter Batauos medicus per epiſtolam a) a Louiſio datam nono Martii Anni 1769. accipit: a iuniore cheirurgo Academiae R. Chirurgorum ſynchondrotomiam, vt remedium euitandi ſectionem caeſaream propoſitam, verum vt nimis extraordinariam repudiatam fuiſſe. CAMPERVS captus ingenioſo conſilio SIGAVLTII, in porculis viuis et cadaueribus hanc operationem cum optimo euentu expertus, in animum induxit, quis in viuente foemina illius operationis euentus foret, experiri; dat libellum ſupplicem ſupremae prouinciae ſuae curiae conſulibus, quo in infanticida capitis rea ſuam operationem experiundi licentiam efflagitat; illa vero data non fuit b). Interea multum torſit haec operatio SIGAVLTIVM; ſuſcipit eandem in publica diſſertatione tueri; primo in vrbe Angers, dein coram Academia Medicorum Pariſienſium; tandemque illam quauis occaſione data exercêre

 ſe-

a) *Vide Diſſ.* D. CAMPER *de emolumentis et optima methodo inſitionis variolarum, cui annexa eſt epiſtola ad* VAN GERSCHER: *de emolumentis ſectionis ſynchondroſeos oſſium pubis in partu difficili etc. p.* 124.

b) *Ibidem pag.* 163.

ſecum ſtatuit. Primo Octobris anni 1777, offert ſe occaſio in foemina dicta *Souchot* annorum 39, ſtatura deformi, mali et irritabilis valde habitus, quae quater foetus mortuos peperat, ſub quartum partum aderant VICD'-AZIR, THVRET, ROVSSET, VERDIER, LEVRET, DESTREMEAV, THEVENAVT, COVTOVLI, DVSAVLT, MARCHAIS, BAVDOT, multique auditores LEVRETI. LEVRETVS lineam coniugatam peluis duos et medium pollicem non excedere ſtatuerat. Propoſita primo a SIGAVLTIO ſynchondrotomia, dein et hyſterotomia reiiciuntur. LEVRETVS ſentiens ad os vteri foetus manum valde paruam, inde ſtatuit et corpus adeo paruum eſſe, vt verſioni faueat; verſionem ſuſcipit. Laborant diu et valde, vitam foetus amittit, tandemque enectus extrahitur. Miſella quinta vice impraegnata iterum auxilium petiit a SIGAVLTIO; is praeſente LE ROI ſynchondrotomiam ſuſcipit c), diſciſſis ligamentis et cartilagine diſſiliunt oſſa pubis ad duos, vti dicunt, et medium pollicem, protinus fit verſio infantis, qui facile et viuus educitur. Operator perculſus timore, aptoque cultello

(nam

c) *Memoire de Mr.* SIGAVLT *etc.* 1777.

(nam operationem non praesciuit) destitutus vrethram laesit. D. SIGAVLT secundo post operationem die Facultati medicae de facta sua operatione relationem dat, petitque, vt delegent Socios Facultatis quosdam, exploratum sectionis veritatem, et euentum. Delata haec prouincia est DD. GRANCLAS et DESCEMET, notarunt hi diligenter in pugillaribus, quae aegrae indies acciderunt, eaque Facultati medicae retulerunt. D. SIGAVLT morbo correptus vlteriorem curam D. LE ROI defert. Die tertia Decembris eiusdem anni foemina *Souchot* sistit se Facultati medicae; interrogata, vt valeat, respondet, se omnino integram esse, ni lotium per vulnus stillaret, illud vero incommodi indies minui. GRANCLAS et DESCEMET coram Facultate recitant curationis historiam: discissam synchondrosam circa diem qnartum et decimum ab operatione coalitam, vnicumque symptoma, vrinae stillicidium, ab operatione causatum fuisse. Lecta sumptibus Facultatis impressa euulgantur. Moneta argentea ex Facultatis eiusdem iussu cuditur cum inscriptione: *l'an 1768. Mr.* SICAVLT, *Docteur en Medecine de la Facultè de Paris a inuentè et proposè la section de la symphise des os pubis. En 1777. il l' a practiquée avec succès,* harumque

 cen-

centum SIGAVLTIO donantur. Cumque SIGAVLTIO LE ROI multam opem tulisset, in alteram monetae faciem haec inscribuntur: *Mr.* ALPHONSE LE ROI *Docteur en Medecine de la Faculté de Paris, l' a aidè.* Earundem LE ROI quinquaginta accipit. Prima huius operationis et publica relatio habetur in diario parisiensi d). Paulo post e) leguntur binae epistolae datae a D L' HERITIER, in queis contendit synchondrotomiam praefixo scopo inutilem, nec non periculosam esse, foeminam *Souchot* absque omni arte partum eniti potuisse; periculosam vero esse sub finem epistolae secundae reuocat. In eodem diario f) D. ETIENNE multa et acriter contra hanc operationem mouet, quae nobis hic recensendi longa nimis sunt. DD. PIET g), BAMPS h) et SCHMIDT i)

con-

d) *Nro.* 279.

e) *Ibidem Nro.* 284. *et* 299.

f) *Nro.* 301.

g) *Reflexions sur la section de la symphise du pubis praesentées et dediées a Mr.* LE NOIR, *Conseiller d' Etat, Licutenant general de police. par Mr.* PIET *etc. a Halaye.*

h) *Tractatus de anteponenda sectione caesarea sectioni symphiseos ossium pubis, authore* ARNOLDO BAMPS. *Geneuae.*

i) *Specimen inaugurale de nuper proposita sectione synchondroseos ossium pubis in partu difficili nonnulla proponens.* I. C. L. SCMIDT *Giessae.*

contra hanc operationem etiam insurgentes illam iisdem fere, ac illi, quos diximus, argumentis oppugnant.

Quarta Febr. 1778. suscepit operationem hanc Clariss. PRAESES, cui interfui, cuiusque euentum cum illo obseruaui; communicauit cum celeberrimo A. G. RICHTERO Professore Goettingensi operationis historiam, RICHTERVS cum Societate, quae ibidem est, Regia; post et eandem Tomo quarto amatae suae Bibliothecae chirurgicae inseruit. Cl. PRAESES dein, cum operata e cura nostra discederet, domumque peteret, historiam totam Academiae regiae cheirurgorum parisiensium misit, cumque illam necdum euulgarit societas haec, constitui eam paulo post plenius apponere.

12. Febr. eiusdem anni D. BONNARD Chirurgus Hesdingensis suscepit hanc operationem in primipara ob peluis angustiam; discindens integumenta timendam se expertum esse dicit haemorrhagiam, cum cartilaginem ossium pubis dissecare non posset, coactus operationem caesaream suscepit; foetus sanus vegetus educitur; mater vero die sexta, oborta diarrhaea, moritur.

D. DESPRÉS de Menmeurs literas ad D. SIGAVLTIVM dat, se 23. Februarii dissecuisse cartilaginem pubis,

 ma-

matrem illico poſt ſectionem peperiſſe feliciter; die poſt operationem tertio ante focum, et 22 Martii ex templo, a ſua domo media hora diſſito, redeuntem illam, ſanam offendiſſe k). Verum relatum habemus, D. DESPREÉS ſynchondroſin pubis nullatenus diſſecuiſſe.

5. April. anni eiusdem D. NAGEL Cheirurgus Bruchſalienſis cum Doctore BERENSTIEL operationem hanc inſtituit in foemina, quae tres maturos foetus, duos poſteriores vero mortuos iam modo ediderat. Foetus inique facie dextrorſum ſitus, neque vltro vrgetur doloribus, neque verſione, neque forcipe prehendi poteſt. Poſt diſſectionem cartilaginis fit verſio, adhuc omnino difficilis. Foetus per aliquot adhuc minuta viuere viſus fuit. Aegra die poſt operationem octaua cum ſignis gangraenae, adhibita licet omni opera, fatis cedit. Exenteratio exhibuit partes genitales externas ſphaceloſas, vrethram integram, telam celluloſam ſub oſſibus pubis corruptam et ſanie perfuſam, os vteri gangraenoſum, vt et interna et poſterior facies vteri. Linea peluis coniugata erat vnciarum trium, transuerſalis naturaliter ſe habebat. Haec

nobis

k) *Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. Iulii* 1778. *pag.* 428.

nobis ab aliquo veritatis amico relata, vt in publicum commodum verti possint, huc transtuli, praesertim cum operatio facta in nouellis francofurtensibus 8ui Aprilis 1778 habeatur, malus vero euentus non euulgatus fuerit.

D. GVERARD Medecinae Doctor et Cheirurgus Dusseldorpius hanc operationem 11ma Maii 1778. in foemina 37. annorum olim rachitica, detecta per explorationem magna peluis contorsione, tentata infantis versione multa vi et irrito labore, synchondrotomiam etiam tentat. Ossa pubis dissecta cartilagine ad vnciam vnam et dimidiam sponte a se inuicem discedunt. Insudat denuo cum ministris suis per vndecim horas versionis labori; impenditur tanta vis, vt pes auellatur; tentatur forceps, eximuntur cerebrum, et ossa dein quaedam caluariae; ast inanis est omnis labor; hora vndecima de nocte foetus sponte exclusus a discipulo aufertur. Ossa pubis ligatura ad se adducuntur, idque cum magnae aegrae molestia.

21ma Maii operata post signa inflammationis pessima moritur. Sectio cadaueris docuit, suppuratum esse anterius vterum adeo, vt vlcus per substantiam vteri penetrauerit, et pus in peluis cauum diffuderit se, inte-

teſtina hinc inde gangraenoſa, peluis coniugatam, aperturae ſuperioris vnius et mediae, transuerſalem ſeptem vnciarum eſſe. Exactiorem hiſtoriae huius deſcriptionem vide apud BRINCKMANNVM l) et ipſummet GVERARDVM m).

Poſt I. C. LODER, iam Profeſſor Ienenſis, ſynchondrotomiae partes tueri incipit n). LE ROI denuo in laudem huius operationis multa edit o). LEPPENTINVS fere ambiguus eſt, inclinare tamen in ſynchondrotomiae partes videtur. p)

D.

l) BRINCMANNS *Bemerkung über die neuerdings vorgeſchlagene, und an einer Kreiſenden verrichteten, Operation der Durchſchneidung der Symphiſe der Schaambeiner. Düſſeldorf.*

m) B. GVERART M. D. *Vmſtändliche Nachricht, weswegen der Durchſchnitt der Symphiſe der Schaambeiner den* 11. *May in Düſſeldorf unternommen wurde. Düſſeldorf.*

n) *Synchrodoſeos oſſinm pubis ſectionem in partu difficili inſtituendam expendit* I. C. LODER M. D. *Profeſſor deſignatus in Academia Ienenſi. Göttingae* 1778.

o) *Recherches Hiſtoriques et Practiques ſur la ſection de la Symphiſe du pubis practiquee pour ſuppleer a l' Operation Caeſarienne par Mr.* LE ROI *Docteur-Regent de la faculte de medecine de Paris* 1778.

p) *Anmerkungen über die künſtliche Trennung der Schaambeiner in ſchweren Geburten von* D. LEPPENTIN. *Hamburg.*

D. G. D'AGOTY de ſectione Sigaultiana tres figuras aeri inciſas edidit q), quarum prima exhibet ſynchondroſin pubis naturalem cum affinibus muſculis, arteriis, neruis etc.; altera peluim facta ſynchondrotomia cum contentis veſica, vtero et transeunte per illam capite; tertia os pubis in naturali magnitudine cum portione vaginae. Medicus ROVSSEL etiam defendit ſynchondromiam et acriter r), in vrbe Arras D. RETZ et Cheirurgus LESCARDE operationem Sigaultianam cum malo tamen, vti aiunt, euentu peregerunt: deſuper lis orta inter illos fuit, et alios Medicos et Cheirurgos vrbis s). D. SIGAVLT nouiter hanc operationem ab incurſibus aduerſariorum vindicare conatus eſt t). WILLIAM HVN-

E . . . . . . TER

q) *L' Operation de la ſymphiſe dans les accouchemens impoſſibles avec l' anatomie des parties expoſées dans cette operation et qu' il eſt eſſentiel de menager. Par Mr.* GAVTIER D'AGOTY *Anatomiſte penſionnè du Roi.*

r) *De ſectione ſymphiſeos oſſium pubis admittenda quaeſtio medico-chirurgica, Pariſiis diſcuſſa in ſcholis medicorum 7. Maii 1778.*

s) *Obſeruations intereſſantes en faveur de la ſymphiſes du pubis: ouvrage dont le but eſt de repondre à un memoire des medecins et chirurgiens d' Arras etc.*

t) *Diſcours ſur les avantages de la ſection de la ſymphiſe, qui devoit etre lû dans la ſeance publique de la faculté de médicine de Paris le jeudi 5. Novembre 1778. par Mr.* JEAN RENE' SIGAVLT *Docteur Regent etc.*

TER anceps etiam circa operationis vtilitatem, neque totus ab ea alienus, neque addictus eſt v). Paulo magis addictus illi eſſe videtur D. IVMELIN x). Aduerſatur illi Celeberrimus STEIN y). Nouum vero defenſorem acceſſiſſe WRISBERGIVM, LODERVS dixit.

DISSECTIONIS CARTILAGINIS ET LIGAMENTORVM PVBIS CASVS NOSTER.

Margaretha Markard ex Pferſdorf, prope Kiſſingen, 35. annorum, ſtaturae mediocris, ſani habitus, ante 11. annos nupta, ſepties peperit. Foetus ſex naturaliter quidem, aſt difficili, pluriumque dierum labore eniſa eſt; ſeptimum in fruſta diuulſum chirurgi pagani induſtria extraxit. Qui naturali partu editi ſunt, ad tempora maculis liuidis ex ſugillatione, vt et impreſſione

oſſium

v) WILLIAM HVNTERS *d. A. D. Bemerkungen über die bey ſchweren Geburten empfohlene Zertheilung der Schaambeine, nebſt des* ST. IVMELINS *Abhandlung über eben dieſe Materie, aus dem Franzöſiſchen und Engliſchen überſetzt. Leipzig* 1779.

x) *Ibidem.*

y) *Practiſche Anleituug zur Geburtshilfe. p.* 243.

oſſium notati prodiere, quod cheirurgum obſtetricemque pagi induxit, vt illam ex mala conformatione peluis adeo difficulter parere crederent. Quare iam in quintum menſem praegnans ex magno partum viuum reddendi deſiderio Cl. PRAESIDEM conſulit, ſeque ad quaecunque artis remedia vtut acerba toleranda offert, modo foetum viuum ſeruandi ſpes foret. — Interrogata reſpondet, ſe in infantia adeo rachiticam fuiſſe, vt quarto aetatis anno pedibus inſiſtere vix potuerit. Magiſter meus obſeruat illam incedentem pedibus introrſum verſis, exploratione detegit os ſacrum valde impreſſum, ex quo mortalem transeunti foetui peluis anguſtiam fieri ſtatuit. Erigit et confirmat Cl. PRAESES bonae mulierculae ſpem animumque, ſuadet, vt circa grauiditatis terminum Herbipolim redeat, omnem curam artemque ſe impenſurum promittit, vt, quod optet, obtineat.

Circa initium Ianuarii 1778. in vrbem redux iam octauum grauiditatis menſem fere elapſum dicit. Vigeſima Ianuarii explorat Cl. PRAESES ſitum partium, peluis anguſtiam etc. Reperit peluis exitum ſatis amplum, orificium vteri verſus pubem verſum, indeque

iudicat reclinatum eſſe vterum. Manum dein facile in vaginam inducit, ſentit promontorium oſſis ſacri anterius adeo in peluis cauum prominere, vt coniugatam lineam tribus vnciis vix maiorem eſſe exiſtimet, augmentum amplitudinis neceſſariae, quod duodecim vel et ad quindecim linearum a ſacro ad pubis iuncturam eſſe debere ſtatuerat, et ſecundum obſeruationes in cadaueribus factas operatione lucrari poſſe. Nihil ergo haeſitans illud remedii amplectitur, grauidaeque proponit, quae ad omnia paratiſſima nullatenus tergiuerſatur, in acceptanda, quam ſuadet, operatione. Cautus et contra inuidiae iniquos clamores ſe muniturus Facultatem Medicam colligit, eiusque deſuper iudicium explorat. Illa re bene perpenſa vnanimiter conſtituit, deficiente forcipe Levretiana, foetuque viuente perfici poſſe diſſectionem ligamentorum et cartilaginum oſſium pubis, et in ea minus pro matre ſaltem, quam in partu caeſareo, periculum eſſe.

31ma Ianuarii Aquae effluunt, aluus ſubſidet, vterus vix mutatur, dolores nulli ad partum, foetus valde ſe mouet, quod ſentit parturiens et obſtetrix, pulſu

pulſu parum duro et iuſto frequentiori, ſanguinis e brachio vnciae ſex educuntur.

1mo Februarii dolores ſilent, aquae ſenſim effluere pergunt.

2do Aquae fluere iam ceſſant, aluus magis iam ſubſidet quidem, tantum vero non, quantum naturaliter et in felici partu fieri ſueuit, dum aquae perditae ſunt, vterus in ſuo ſitu manet, dolores ad partum nulli. Foetum mouere ſe et parturiens et obſtetrix iterum affirmant.

3tio Dolores exigui ad partum monere tandem incipiunt, nec vteri orificium ab illis mutatur, increſcit pulſus, foetusque a parturiente adhuc viuus habetur.

4to Dolores de nocte fere nulli, hinc ſomno parum indulgere potuit. Circa horam octauam matutinam, dolores increſcunt, orificium vteri craſſum adhuc et contractum parum pateſcere incipit. Intromittit cum aliqua violentia in vaginam et os vteri indicem Cl. PRAESES; inde tamen de foetus ſitu certi quid ſtatuere nequit, nec vlterius vrget recognoſcendi ſitum, cum nullum tempus perdendum ſupereſt. Dolores vehementer inuadunt, indeque opinatur, illis, ſoluta ſynchondroſi pubis, eniti foetum, ſi recte et capite praeuio in partum

ſe daret, poſſe, vel ſi ſecus foret, pedibus arripi atque educi debere. Praeſentibus igitur Profeſſoribus SENFT et Medico Aulico EHLEN, tribus condiſcipulis meis et me parturiente noſtra in marginem lecti ſui poſita, ita, vt figi operanda poſſit, oſſi vero coxigis liber motus pateat, thorax vero et caput paulo proclinet, Cl. PRAESES meus inciſionem ſcalpello anatomico, cuius apex conuexus et parum acutus, in manubrio probe firmato, duabus ſupra pubis ſynchondroſin vnciis incipit, et inſcindere vſque ad clitoridem pergit, euitans diligenter eius crus aliquot offendere. Operatori ab anterius ad introrſum, quin acies ſcalpelli intra peluim penetraret, cartilaginem diſcindendi, ſicque periculum laeſionis veſicae euitandi animus eſt. Magna modo affulget ſpes, peractum id breui fore, cum vna quarta modo cartilaginis pars diſciſſa eſt, aſt circa cartilaginis medietatem impingit Operator in inexſuperabilem cultro reſiſtentiam, adhibet violentiam, cultellum iam huc iam illuc mouet, quod credat cartilaginem intermediam a recta decedere poſſe: tandem et diſciſſis muſculis pyramidalibus duce indice ſiniſtro cultri apicem in peluim mittit, et ab interius extrorſum ſecat. Fatigatus dein vltra mediam horam iſtis

En-

Encheireſibus fruſtra, perſuaſum habet, reliquam mediamque ſynchondroſeos partem oſſificatam eſſe. Parturiens interea labores hos patienter fert, et aſſidens obſtetrix manu aluo impoſita foetum mouiſſe ſe repetit. Ego iuſſus a Cl. PRAESIDE meo ſerrulam parum incuruatam, globoſo apice, ne laedat, munitam accerſo; hac operator oſſa pubis caute et ſecure, citra partium mollium laeſionem diſcindit. Ego interea, praeſertim ſub finem operationis, molles, quae circa arcum pubis adiacent partes, ſerrae digitis ſubducere allaboro; ſpontanea oſſium pubis ſeceſſio 4. vel ad ſummum 5. linearum eſt, ita vt viſum magiſtro meo fuerit, ſponte maiorem peluis amplitudinem non eſſe futuram: iubet ergo condiſcipulum meum et me femora tenentes, violenta quidem, ſucceſſiua tamen, illorum diductione capacitatem peluis augere, vt tandem digitum oſſibus pubis interponere liceat; nec ſufficit capacitatis hoc incrementum. Arreptis igitur aegrae genubus magiſter meus ſumma vi nobis iuuantibus femora adeo diſtendit, vt ad ſexdecim et paulo vltra lineas ea a ſe inuicem diſtare ſentiret. Vis illa et violentia attonitos omnes nos reddit, ratione euentus ex diſtenſione et diuulſione vaginae vteri, ve-

ſicae,

ficae, clitoridis, telae cellulofae, partium tendinofarum, et aponeuriticarum, vt et ex diruptione fynchondrofeos facroiliacae timendi. Primaria iam operatoris cura in parandum foetui exitum vertitur, de cuius vita feruanda follicitudo illi quouis momento increfcit: animus igitur eft, videre, quid labor ille augmenti peluis capacitati addiderit, vidensque, vltro dilatari fine periculo dilacerationis partium mollium hic difpofitarum non poffe, operam in eductione foetus iam ponere incipit, dubitans vtur, an dilatatio facta pro foetus eductione fufficeret? Orificium vteri craffum adhuc vix apicem digiti admittit; operata dolores ad partum habet, inde tamen orificium illud non dilatatur: vi igitur digitum immittit Cl. PRAESES, fentitque foetum humerum dextrum praeuium dare, et caput reclinatum effe; dilatat fucceffiue vteri orificium, foetum pedibus prehenfum difficulter quidem, ob contractum modo valde vterum, vertit, et ad collum vfque educit. Eductis vix aliquantum pedibus, vidimus epidermidem ex iis liuefcere, et a fua cute fecedere, ex quo fcire licuit, foetum cum omnium noftrum dolore mortuum modo effe. Tamen in extrahendo foetu adeo infudauit Cl. PRAESES, vt fractis viribus

ribus ſuis, et me, et obſtetrices allaborare iuſſerit. — Tandem compreſſo et pugnae magna vi conquaſſato foetus capite parturiens liberatur. Foetu in pelui incuneato ego oſſibus pubis diuiſis, femoribus non violenter diſtractis, pollicem vix interponere potui. Vulneris anguli valde tenſi, extractioni admodum reſiſtere viſi ſunt. Caput magnum eſt, oſſa cranii vix cohaerent inter ſe, placenta contractionibus vterinis paulo poſt expellitur. Finitus ita eſt terribilis adeo partus, et tanto impedimentorum confluxu difficillimus, in cuius decurſu omnem artem viresque ſuas victas fore timuit Clariſſimus PRAESES, et toties in nouam hanc operationem ſe abreptum fuiſſe, partumque caeſareum non antepoſuiſſe doluit, perpendens ſecum, foetum, licet viuus fuiſſet, per hasce anguſtias ſeruata vita educi ſane non potuiſſe.

Operata lecto committitur, linteis carptis vulnus ad ſynchondroſin vſque impletur, venter oleo roſarum tepido et cataplaſmatibus ex herbis emollientibus et floribus ſambuci fouetur, nulla continens faſcia adplicatur ex metu nimiae compreſſionis vteri, viſcerumque in imo ventre tumido, et ad attactum dolente contentorum, neque operatae ſitus omnino idem imperatur, potius,

tius, vt pro lubitu in alterutrum vel latus vel dorſum cubet, conceditur. Pulſus ante operationem plenus, nunc frequentior eſt, et minor. — Vulnus dolet, et labia eius adeo a ſe inuicem diducta ſunt, vt nunc perpendiculari linea vulneris maior ſit horizontalis. Aegra de nullo circa ſynchondroſin ilioſacram, quod miramur, dolore queritur. Cum ab operatione vrinam non dediſſet, cathetere extrahitur. Fomenta ventri et genitalibus impoſita continuantur, ſitim emulſionibus, et potu multo refrigerante ſedat, vteri regio attacta valde dolet, et vterus nondum ſatis ſe contrahit. Nox tranquilla ſatis eſt, ſomnus tamen breuis et ſaepe interruptus, praeter arbitrium vrina effluit; aegra ſortem ſuam patienter fert, et ſereno ſatis animo eſt, de lancinantibus in vulnere doloribus hinc inde queritur.

5to Febr. Primo ab operatione die pulſus frequens eſt, et durus, e vena brachii ad octo vncias ſanguinis emittere iubet Cl. PRAESES. Eductus ſanguis cruſta phlogiſtica tectus eſt; lochia rite fluunt, in ſiniſtro peluis latere vterus durus ſentitur, vrina adhuc contra voluntatem ſtillat. Decocta emollientia apta ſyringa in vte-

rum

rum eiusque vaginam immittuntur; lingua pulchra eſt, pectus, caput ſana.

Sub veſperum pulſus celer 130es intra minutum micans, ruber facies, intumeſcit abdomen, vterus durus ſupra peluim iacet, et parum dolet attactus, repetitur venae ſectio.

De nocte ſymptomata inflammationis perſtant, cheirurgus excubias agens denuo venam aperit.

Secundo die ſymptomata leuiora, facies non adeo rubens, tumor abdominis imminutus, vterus minor et mole et duritie, vrina, quae ad arbitrium neque reddi neque contineri poteſt, cathetere educitur, et turbulenta eſt, vulnus tumidum quidem eſt, puris vero nihil dat, pulſus valde quidem frequens eſt, durus tamen non. Relictis antiphlogiſticis datur chinae decoctum cum ſyrup. citri.

Sub veſperum multo iam melius aegra habet. Symptomata inflammationis diſparuere, lingua pulchra, facies tranquilla, vix vlla ſitis, vulnus albeſcens, humidum, admodum ſenſibile, minor abdominis intumeſcentia, largius fluunt lochia, quandoque grumi coagulati ſangui-

nis enituntur, vrina ad arbitrium vt ante operationem laxatur.

Tertia ab operatione die vrina per vrethram redditur, febris remiſſior, vix 110es arteria micat. Sub veſperum aegra nullis fere premitur moleſtiis, linteis carptis, quibus tectum vulnus erat, pauco bono pure notatur, vrina craſſa eſt.

4to. De nocte ſomnus, veſicam leuauit bis, abdomen inflatum eſt flatibus ex copioſo potu, mammae lacte aliquantum turgent, et per papillas exonerant ſe. A veſpere vulnus ſuppurat; turunda vulneri non immittitur; potius ducitur, vulnus decocto hordei, immixto melle roſarum, therebintina veneta vitello oui ſubacta, et parua aquae vulnerariae portione eluere. Cum hac iniectione furfuracei quid e vulnere repullulat, vulnus in transuerſum adhuc valde diſtentum emplaſtro parum continetur, plagae plumaceolum balſamo arcaei illitum imponitur, per vaginam parum ſanguinis coagulati exit, dolores ſilent.

5ta. Vrina aliquoties ſponte profluxit, aegra in mouendo ſe ſitumque mutando ſummam difficultatem ſentit, et medium, a vertebris lumbaribus, corpus paralyticum

cum quaſi eſſe. In vulnere pus, circa veſperum febris exacerbatio, maiorque ventris intumeſcentia, aegra et valde de doloribus circa nates et oſſa ilei, eorumque cum ſacro iuncturam queritur. Clyſma.

6ta. Somnus fere nullus, febris vehementior, vterus adhuc durus, vrina praeter arbitrium adhuc effluit; (num id collo veſicae nimium diſtento, vel capite transeuntis foetus nimis compreſſo adſcribendum? cultro laeſio eiusdem facta non eſt) circa veſperum febris iterum mitior, dolor tamen vehemens circa pubem eſt, auctus attactu, omnis vrina praeter arbitrium effluit; mammae flaccidae ſunt, cutis calor blandus.

7ma. Diarrhaea; leuans inde ſomnus, tamen de nocte interruptus, vulnus pus dare pergit, vterus in regione hypogaſtrica vix adhuc poteſt ſentiri, aegra ex voto ſe habet, vrinae excretio naturalis hodie eſt, aluus cremore tartari ſollicitatur.

8ua. Abdomen flatibus tumidum adhuc eſt, in vulnere pus bonum.

9na. Febris mitis, cutis humida, lingua laete rubet, appetitus redit, vrina ſponte profluens lectum inundat, exceptum vero ad matulam ſedimento albo copioſo pu-

riformi diues erat, vterus iam contractus eſt adeo, vt ſentiri, impoſita manu, vt ante, non amplius queat; ſitum aegra difficillime quidem mutans, circa ſynchondroſes ilioſacras nihil tamen vel doloris vel incommodi ſentit. Inter deligandum ex imo vulnere volſella ſaepius eximuntur gangraenoſae et naturae viribus ſolutae membranarum particulae.

10ma die ab operatione febris perſtat, mitis tamen, omnis fere vrina cum pure per vulnus defluit, etiam dum aegra per viam ordinariam eandem emoliri nititur: concluſit hinc carus Praeceptor meus, vrethram prope collum inflammatam fuiſſe, hancque inflammationem in eſcharas gangrenoſas abiiſſe, viribus dein naturae expulſas; ſolutis hisce eſcharis patuiſſe in vulnus iter vrinae, quod non patuerat, donec ſolutae eſcharae non eſſent.

11ma. Febris eadem ac heri, eademque vrinae per vulnus profuſio, iterum ex imo vulneris fundo gangrenoſae membranarum lamellae volſella auferuntur, immiſſa per vrethram et catheterem iniectio impetuoſius per vulnus regurgitat, per temporis tantillum aegra e lecto ſurgit, et aliquoties cubili obeundo idonea eſt, quod tamen cum ſenſu alicuius circa oſſa pubis dislocationis fit.

12ma. Febris decrescit indies, per vrethram nihil omnino vrinae redditur; quod ea omnis per vulnus stillans, in vesicam non amplius colligatur, nec id immisso cathetere impediri potest.

Primis sex ab operatione diebus catheter omnem vrinam eduxit, nec gutta tum per plagam exiit, quin imo et aegra ipsamet vrinam aliquoties per vrethram laxauit: suspicari igitur fas est, per distensiones diuulsionesque violentas pone vesicae collum natam inflammationem in gangrenam cessisse, et vrinae patulam viam per vulnus dedisse. — Ossa pubis, vbi disscissa sunt, scabra et cariosa, vuluae labia sero infiltrata sunt. Operata vero hisce non obstantibus pedibus firmiter insistere potest et incedere, cum iniectione semper adhuc membranae corruptae eluuntur.

13tia. Pergit per plagam vrina effluere, eoque magis, si corpus moueatur.

14ta. Aegra stans de nouo vrinam minori copia, aucta vero ad motum per vulnus effluere sentit.

15ta. De summa debilitate aegra conqueritur, adeo, vt erigendi truncum vis vix sufficiat; sentit ossa pubis dissecta ad quemcunque motum moleste dimoueri.

16ma.

16ta. Vt heri. Ne vltro per vulnus vrina effluere pergat, cannula eburnea in vrethram immittitur, illico inde lotii quid effluere incipit.

18ua. Vulneris facti magnitudo valde imminuitur, et bene ſuppurat, aegra vtplurimum erecta ſedet, appetitus valet, conceduntur albae carnes.

20ma. Vrina per immiſſam cannulam in quantitate paulo maiori fluit.

21ma. Aegra bene valet, per plagam parum vrinae effluit, multum per immiſſam cannulam, quin imo, etiam vrgere per vrethram, ſi vult, eandem poteſt.

23ia. A duobus diebus neque iniectionis, neque vrinae quid per plagam regurgitauit. Hodie tamen iterum aliquantum. Aegra dum incedit, ſenſum crepitationis, oſſium quaſi ſiccorum, ſentit. Vrinae ſedimentum craſſum, mucoſum, foetidum eſt.

28va. Hodie aegra ambulatione vſa eſt, vrina in veſicae cauo collecta fuit, et per cannulam immiſſam cum impetu reddita, plaga parua eſt, et luxuriante carne obſita, continuatur vſus iniectionum balſamicarum.

32da. Operata proſpere valet, appetit, dormit, ſerena eſt. Exfoliatur hodie, et per plagam excipitur oſſicu-

ficulum paruum, retro os pubis dextrum notabilis finus reperitur, vrina in vefica colligitur, et facile, fi aegra vulnus continet, cum impetu eiicitur.

37ma. Exfoliatur hodie maior aliqua offis portio, quae in *Tab. II. Fig. VI.* expreffa eft, per aliquos dies copiofior fuppuratio praeceffit, aegra vrinam vefica continere, illamque pro voluntate emittere poteft, quin per vulnus vel gutta exeat; verum fi fortiori paulo nixu eandem enitatur, vel corpus iufto aliquantum plus moueatur, ftillatim aliquae tantum guttae effluunt; omnem ergo vrinam compreffo digitis vulnere per vrethram emittit.

39na. Operata integritati propius accedens, facile, neque baculo fuffulta, neque crepitatione neque dolore vllo impedita fcalae gradus decem fcandit, vrina ad arbitrium vel foluitur, vel continetur, nifi ad nimiam quantitatem collecta in veficae cauo fuerit, validusque motus fuperuenerit.

43ta. Bona fatis omnia, per vulnus tamen cum pauco pure lotii aliquantum effluit, offa difciffa necdum coalita effe videntur, incedens operata tamen incommodi quid circa peluim fentit, quod explicare nequit.

46ta. Operata templum 300. fors paſſibus ab aedibus ſuis diſſitum viſitat, et poſt horam precibus transactam, domum reuertitur.

5ᵗᵃda. Vrina emiſſa fuit ſaepius, quin per fiſtuloſam vulneris aperturam gutta effluerer, ſaepius tamen guttulae quaedam effluunt, vires redeunt, nec incommodi vltro quid ſentit operata, functiones ſuas faciliter obit, hinc ad ſuos lares redeundi veniam flagitat, quod denegare Cl. PRAESES aegrae non potuit, cum vlteriorem fiſtuloſae huius aperturae curam naturae viribus tuto committi per tempus poſſe autumet. Vulneris aperturae lintea carpta raſa, vt luxurians caro cohibeatur, ſicca imponuntur, et emplaſtro diapalmae continetur.

Operata igitur de faciendis omittendisue rite inſtructa ſecunda Aprilis anni eiusdem iter in pagum ſuum ſuſcipit. —

* * *

18. Iulii 1779. viſurus, an in vado omnino ſint operatae noſtrae res, egomet in pagum Pfersdorf iter facio: inuenio illam domeſticis ſuis negotiis occupatam, ſuae ſpontis, et optime valentem; dicit, ſe ſaepius adhuc

huc inflammatione circa operationis locum correptam fuiſſe, imo et tum vrinam iterum per vulneris fiſtuloſam aperturam ſtillatim effluxiſſe; ſingulis vero vicibus remittente inflammatione exiuiſſe oſſicula exfoliata; ante tres menſes vehementiore inflammatione ſe correptam fuiſſe, ſub huius remiſſione fragmentum oſſeum in *Tab. II. Fig. VI. a.* notatum, ad vulneris orificium ſe offerens difficulter eductum fuiſſe, et poſt ceſſaſſe omnia mala ſymptomata. Vulnus probe nunc conſolidatum eſt, rotunda cicatrix eſt et firma. Digito in vaginam immiſſo, videor mihi ſentire callum eſſe molliorem, oſſibus pubis diſciſſis intermedium; operata etiam ſe tactu exploratam habere, oſſa pubis immediate inter ſe nunquam coniuncta fuiſſe aſſerit; menſes rite fluunt, iis vero inſtantibus circa pubem dolor eſt.

Hactenus, quae ad hiſtoriam vtriusque operationis potiſſimum faciunt, reperiuntur, dicam nunc

DE DIFFICVLTATIBVS ET COMMODIS CIRCA SECTIONEM CAESAREAM.

Relictis huius rei, quae ad Theologos et Iurisconfultos fpectant, difficultatibus, eas folum contemplabimur, quae Medicum latere non debent. In genere vero certum et vulgo notum eft, hanc operationem ex dolorum, quos adfert, acerbitate et periculi magnitudine non matribus folum, fed et cuiuis, cui aes triplex circa pectus non eft, horrorem incutere, et auditu adeo moleftam effe; fiquidem ex hiftoria huius operationis in aprico fit videre, pauciffimas, quin imo fub cura praeftantiffimorum cheirurgorum euafiffe fanitati redditas, ideo et rari admodum cheirurgi funt, quibus eam fufcipiendi vel animus fufficit vel cognitio.

Speciatim vero Medicus obftetricator in magnas anguftias adigitur, dum iam peluis vel anguftiam, vel difformitatem, vel vtrasque fimul adeffe tactu certiorem fe facit. An amplectenda eft fectio caefarea immitis, crudelis illa operatio? an mitiori auxilio indulgendum?

an res naturae committenda? quis, dum talem ſibi caſum fingit, non ſtupet? ex hac parte ſtat matris vita, ex hac foetus, ex illa vtriusque; iam artis honor, iam cheirurgi, iam lex, iam monet et humanitas. Quomodo de reconditi adhuc foetus vita aut morte certi quid intelligi poteſt? Aſſerit difficillimum id eſſe CAMPERVS a) cumque DEVENTERO b), magnae adeo experientiae viro fatetur in collegiis ſuis optimus Magiſter meus, fuiſſe deceptum ſe: Parturiens nempe perſona ex peluis ſumma anguſtia laborans, in noſocomium admittitur, cum magiſtro medici in conſilium vocati conſtituunt de ſectione caeſarea dubitari non poſſe, parturiens motum foetus ſe probe ſentire aſſerit, paratis omnibus ad operationem requiſitis, cum dolores omnino ſilerent, et nox eſſet, translata fuit operatio in diluculum venientis diei, venit Cl. PRAESES operaturus, et en! eo ipſo momento vnico, nec valido dolore expellit foetum — minutulum, putredine diffluentem. Conſtituta huius operationis ineuitabili neceſſitate in ancipiti res iterum eſt: num in latere, et in quo facienda ſit ſectio? an praeſtet per lineam al-

 bam,

a) *l. c. pag.* 188.

b) *Nouum lumen obſtetricantibus cap. XXXII.*

bam veluti clariff. HENCKEL, an per carnes mufculofas, vt alii paffim penetrare?

Crudele vulnus, quod in cutim, mufculos, peritoneum et vterum infligi et ad feptem pollices dilatari debet, vt fecure foetus educi poffit, timendam vt plurimum haemorrhagiam producit, quae eo maior eft, cum vteri extenfi vafa fanguine admodum turgeant, nec infrequenter in placentam faepius cultellum incidat, ex qua difciffa cruor pleno riuo proruit; quod Celeberr. STEIN et Cl. PRAESIDI obtigit.

Inteftina faepe, antequam vterus infcifus eft, per vulnus protrufa aëre alluuntur, contrectari manibus debent, hinc aucta, quae iam modo ex grauiditate nata eft, in inflammationes procliuitas.

Effundere fe in cauum abdominis cruor poteft, et vomitus inter operationem obortus, ni omnino cautus fueris, inteftina multa ex fuo cauo expellere.

Difficilis eft facti vulneris deligatio; aut cruentis futuris, aut emplaftris continentibus labia vulneris ad fe inuicem contineas, metus eft in hoc, ne ftillans e vulnere humor emplaftra foluat; in illo, ne fymptomata inde augeantur, aut et inter vomitum cutim carnemque

que dilacerent. In inferiore vulneris angulo debet esse exitus effusis humoribus, intestinis non.

Quinimo et intestina in vulnus vteri vrgeri et strangulari possunt, quod retulit CAMPERO LOVIS vidisse se in sectione cadaueris a partu caesareo mortuae c).

Quae vero post operationem symptomata sequuntur, timenda maxume sunt, vt febris, inflammatio, cum suis sequelis, vomitus, etc.; vomitu vero aegro peius nihil accidere potest, siquidem hoc vomitu oborto intestina in suo cauo retineri vix possunt, perscissa vasa in nouam haemorrhagiam se soluunt, sanguis ille in cauum abdominis diffusus corrumpitur, vel pseudomembranas concretionesque viscerum caussat, vrgetur sanguis in inflammata, vel, si facta necdum inflammatio fuerit, in inflammationes prona imi ventris viscera; ingesta, quae febrim inflammationemque pacarent, medicamenta eiiciuntur; hinc illarum partium gangraena sphacelus.

Quodsi fortuna tibi obtigerit, vt aegra ex his periculis emergat, cicatrix herniis patet.

Ne-

c) CAMPER *de emolumentis sectionis caesareae etc. p.* 127.

Neque tamen commodis vacat crudelis haec vtut operatio. Foetns hac ſola via viuus ſeruatur; ſumma peluis diſtorſio et anguſtia operatione hac ſuperatur, neque matri demta eſt omnis ſpes in priſtinam integritatem redeundi; cum arte multae difficultates et pericula praecaueri et amoueri poſſint, nihilque etiam interſit, an tutum ſatis ſit praeſidium, quod vnicum eſt.

DE DIFFICVLTATIBVS ET COMMODIS SYNCHONDROTOMIAE.

De huius operationis grauitate, difficultate, periculis veſicam laedendi, vel clitoridem, vel alia, iam ſatis agitata ab aliis, ego vltro non proſequar; ſiquidem facile poteſt conueniri, ſectionem hanc grauem quidem eſſe et dolorificam, ſectione vero caeſarea multo minus; veſicam laedendi periculum a gnaro Operatore facile euitari poſſe; et quid, ſi crus alterum clitoridis vel omnino diſciſſum fuerit? nunquid totus penis, quin in eo diſcrimen ſit, amputatur? quid, ſi muſculi pyramidales diuidantur? — Maxuma vero difficultas in eo

eſt:

eſt: an in anguſta adeo pelui, vt neque forcipi, neque alii et mitiori auxilio pateat, ex hac operatione ſuffici-ens dilatatio ſperari poſſit; quod vt aliquantum diluci-darem, in *Tab. I.* iconem talis peluis in naturali ſua magnitudine exhibeo. Mulieri, ex qua deſumta peluis illa eſt, in partu primo aquis modo effluxis aduocatus Cl. PRAESES opem tulit; tentauit, cum caput praeuium eſſet, forcipem Levretianam diu ſatis et fruſtra, dein foetus difficillimam verſionem, inter quam illa vitam a-miſit. Aegra ex perpeſſo illo partu difficillime reſtituta eſt, vrina per tres fere menſes praeter arbitrium ſtilla-tim effluxit. Praemonuit Cl. PRAESES tum, ſi vltro parturiens foret, ſuſcipiendam eſſe ſectionem caeſaream. Elapſis annis fere duobus ſecunda vice parturit, vrſe-rant iam per viginti quatuor horas dolores ad partum, vterusque circum foetum valde contractus erat, dum Cl. PRAESES iterum accerſitur; ille delapſo commodo operationis caeſareae tempore, et omni diſcipulorum ope (nam profunda nox erat) deſtitutus, verſionem iterum tentare coactus eſt; truncus quidem magna vi et labore ad collum vſque educi, caput vero nulla arte extrahi potuit; adhibita dein ingens et longa vis foetum

enecauit. Abſcinditur a capite truncus, vt eximi commode cerebrum, et dein comminuta caluaria totum caput poſſet. Interea diriſſimi valentiſſimique dolores oboriuntur, quibus tamen caput non expellitur. Proruit ſanguinis notabilis portio, inductaque Cl. PRAESIDIS manus caput in vteri cauo vltro offendere nequiuit. Iudicauit igitur ruptum fuiſſe vterum, et caput per rupturam in cauum abdominis emigraſſe (quod et poſt exenteratio docuit). Aegra poſt peſſima inflammationis abdominalium viſcerum ſymptomata defuncta eſt. En huius foeminae peluim ex rachitide valde male mulctatam; oſſa ilei minus, ac naturaliter, lata et reuerſa ſunt, ſuperior margo depreſſior, os ſacrum in ſiniſtra parte latius eſt, quam in dextra, femora intorta, peluis minoris menſura haec eſt:

Diameter ſuperior maior .	. poll.	4	lin. 9
— — — minor .	. —	2	— 9
— inferior magnus .	. —	4	— 8
— — — paruus .	. —	3	— 2
Altitudo ſynchondroſeos pubis	. —	1	— 5
— oſſis ſacri — —	. —	3	— 8
Latitudo oſſis ſacri — —	. —	4	— 3

Haec

Haec peluis ergo nimis parua eſt, anguſta, contorta, et diſtorta.

Vt pateret, quantum, ſi in hac pelui facta fuiſſet ſynchondrotomia, introitus tota capacitas, eiusque coniugata linea augmenti accepiſſet, et quantum dimota fuiſſet ſynchondroſis ileoſacra; appoſui *figuram ſecundam Tab. I. Linea a. a. a.* introitus area circumſcribitur. *b.* denotat ſynchondroſin pubis. *c. c.* Extremitates poſteriores ſynchondroſeos ſacroiliacae *f. f.* Poſitis, quae in *c. c* ſunt, motus centris, circa quae oſſa innominata, diſſciſſa ſynchondroſi pubis, dimoueri ad duos (ſuppono) pollices debent, cedet vtraque pubis extremitas *b.* in *d.* ſpatium igitur contentum intra *e. g. e. g. d. d.* erit augmentum totius areae. Coniugata linea *a. b.* in medium lineae *d. d.* prolongata aucta eſt ſeptem lineis. Anterior extremitas ſynchondroſeos ſacroiliacae *e. g.* lineis quinque diducta eſt Coniugata iam cum ſuo augmento habet tres pollices et quatuor lineas. Hanc vero peluis anguſtiam Cl STEIN adhuc pro ſummo gradu inclauationis habet a). Sane igitur in hoc anguſtiae gradu pro foetus matrisque

 vita

a) *Vom Peluimeter.*

vita ſperari nihil potuiſſet. Igitur Cl. PRAESES induci non potuit, vt in illa perſona, in qua ſectionem caeſaream ſuſcepit, et in qua peluim hac anguſtiorem eſſe exploratum habuerat, ſynchondrotomiam ſuſciperet.

Multo igitur minus in illis peluibus, in queis coniugata habet tantum $1\frac{3}{4}$, $1\frac{3}{8}$, $1\frac{1}{3}$ pollices, veluti HVNTERVS b) in ſua collectione oſſium aſſeruat, et qualem VAVGHANS in illa perſona, in qua operationem caeſaream ſuſceperat, reperit c), et cuius exemplum apud SMELLIVM d) aliosque eſt.

Sunt, qui oſſa pubis ad tres pollices et vltra a ſe inuicem diduci poſſe putent; ecquis adeo in hominis viſcera deſaeuire auſerit? — Iis vero, qui dilacerationem ſynchondroſeos pubis ſine magno detrimento fieri poſſe exiſtumant, refragari videtur experientia ACRELII e), qui disiunctis inter partum oſſibus pubis quinque a partu hebdomadis ſynchondroſin ſuppuratam, et vtrumque pubis

os

b) WILLIAM HVNTERS *Bemerkungen über die bey ſchweren Geburten empfohlene Zertheilung der Schaambeine aus dem Engl.*

c) *Vide ibid. in adiunctis iconibus.*

d) RICHTERS *chirurgiſche Bibl. 1. B. 1. S. p. 13.*

e) OLOF ACREL *chirurgiſche Vorfälle, aus dem Schwediſchen überſetzt von* A. MVRRAY *II. B.*

os cariosum reperit; aegra sanata quidem est, succrescente carne, quae sensim in osseam naturam mutata, ossa iterum inter se coniunxit. Talis suppuratio si ad synchondrosin iliosacram futura sit, puri exitus dari nequit; timenda igitur inde aegrae erit tabes et humorum colliquatio.

Multa insuper sunt, quae huic dilatationi resistere, eandemque vel periculosam vel incertam facere possunt, vt sunt exostoses magnae, cuius exemplum PINAEVS f) habet; ossificatio synchondrosium peluis, qualem in pubis synchondrosi in sua operata offendit Cl. PRAESES; et qualem in vtraque synchondrosi sacroiliaca *Tab. II. figura prima* et *secunda* exhibent; osseae tales concretiones, vel ossis sacri in vna dimidiata parte maior latitudo, vel et minor in lateris vnius synchondrosi sacroiliaca ligamentorum firmitas, vel resistendi vis efficient, vt, quae in vtriusque lateris synchondrosin mediatim deberet fieri dilatatio, solum in vnius lateris synchondrosi fiat. Ex quo illius eo maior, magisque timenda orietur dilaceratio. Quin imo potest cum integra tali ossea coalitione

f) *Opera phys. et anat. L. 2. c. 5. pag.* 109.

coniuncta esse talis distorsio, g) vt praeter illud periculum, quod ex vnius synchondroseos dilatatione fit, etiam nihil augmenti coniugatae lineae peluis addatur, et hinc operatio omnino frustretur: etenim si centrum motus vnicum perpendiculariter in pubis synchondrosin feratur, adhibito circulo patet, non augeri coniugatam; eo magis vero augeri coniugatam, quo magis dilatandae synchondroses sacroiliacae ab illa perpendiculari, vel quod idem est, coniugata recedunt. Denique os sacrum h) adeo incuruatum esse reperitur, vt, qui ex illo partui obex fit, synchondrotomia sit insuperabilis.

Igitur illi, qui, hisce minus perpensis, in hanc operationem incaute ruunt, periculum subeunt, matres hac operatione frustra macratas operatione demum caesarea adhuc, vt a suo foetu liberentur, vel subiiciendi, vel in certam mortem dandi, vel foetum, si per insuperabiles eundem angustias summa vi emoliuntur, necandi. Talia non immerito timenda esse suadent obseruationes GVERARDI et NAGELII.

An

g) *Vid. Fig. II. Tab. II.* h) *Vid. Fig. III. Tab. II.*

An et quando inſtituenda eſt Hyſtrotomia, et Synchondrotomia?

Synchondrotomiam in peluis quadam anguſtia ad foetus matrisque ſeruationem ſufficere, docet obſeruatio SIGAVLTII; cum vero adeo multa ſint, quae eiusdem euentum bonum poſſint auertere, et ex noſtra pelui pronum ſit colligere, donec coniugata peluis tribus pollicibus minor eſt, eam ad ſufficientem capacitatem ſine ſummo periculo dilatari non poſſe; ſtatuere auſim, ſynchondrotomiam ſolummodo in pelui, coniugatam tribus pollicibus, ſi caput recte praeuium, nec mole excedens; tribus vero pollicibus et medio, ſi agripparum partu educi foetus debeat, minorem non habente, et rite conformata inſtitui ſecure aliquo modo poſſe: niſi malis, quod aliqui volunt, ego vero nollem, viuentem foetum vncis vel perforatorio trucidatum, fruſttatim extrahere. In illo caſu compingi foetus caput, et in conum effingi, et diſciſſam pubis ſynchondroſin, lente, ſucceſſiue, et quantum ſuffecerit, doloribus ad partum mediantibus, diducet, anguſtiasque ſuperabit; in hoc maior peluis capaci-

pacitas requiritur, cum caput neque compingi, neque in cuneum formari queat, ſed latiore baſeos cranii parte, per peluis anguſtias protrahendum ſit.

Cum vero ſynchondrotomiam periculo et incertitudine non vacare conſtet, anne in tali peluis anguſtia conſultius eſſet, circa ſeptimi v. g. menſis grauiditatis initium, os vteri ſucceſſiue dilatare foetumque vi educere? Vero mihi ſaltem ſimile videtur, in longe minus periculum ſic matrem adigi, foetumque capite tum valde adhuc paruo viuum per peluis illas anguſtias educi poſſe, et conſeruari.

Partus vero caeſareus in omni et quantacunque peluis difformitate et anguſtia, quae mitiori arte inſuperabilem viuenti foetui obicem ponit, indicatur; non quod inde certa fiducia ſit, ſed quod dubia ſpes certa deſperatione ſit potior.

ME-

METHODVS SECTIONIS CAESAREAE.

Cognitis indiciis, quae nos vel ſpe conſolentur, vel metu terreant, transeundum eſt ad operationis caeſareae methodum. Ergo ſi per indagines ſerias et diligentes, vel fidam experientiam, quod quidem optimum eſt, et caro praeceptori in ſuo caſu obtigit, exploratum habueris, foetum viuere, eumque per peluis anguſtias viuum non, nec ſine matris euidenti periculo euadere poſſe, matremque doloribus et laboribus nondum confectam deploratamque eſſe. * Si tecum id ipſum ſentiant amici tui medici et collegae, parturiensque et adſtantes inducti ſint eo, vt vltima experiri ſecum

* *Immo nunquid praeſtaret, praecognita diu ante operationis ineuitabili neceſſitate, partus terminum aliquibus diebus antecapere, operationemque facere, dum nulli adhuc dolores monuerunt? vterus tum ſpaſmis necdum obnoxius, nec intimendas inflammationes, quod ſanguis doloribus nondum adeo in eius ſubſtantiam impactus fuerit, adeo procliuis eſt. — Num fors ſummus vir* STEIN *in vtroque cadauere ſuarum operatarum ſuperficiei interni vteri eiusque colli gangraenam ſecutam non doluiſſet, niſi dolores iam ante operationem adeo diu viſiſſent?*

ſtatuerint; omnia, quae inter operandum vſui eſſe poſſunt, apta; corpus, ſi longe ante operatio, quod valde bonum eſſet, praeuiſa fuerit; victu modico ſalubri praepara, et ab omni alieno morbo, ſi poſſibile eſt, immune praeſta. Cathetere lotium educ, et clyſmate faeces elue.

Operandam dein in altum lectum, vel, quod mihi quidem magis commodum videtur, in menſam firmam depone, et ab hominibus praeualentibus et peritis circa artus et truncum prehenſam defige; incuruato parum trunco, ne vltra modum tendantur abdominis muſculi, eosque, qui ab auxiliis tibi eſſe debent, in varia, veluti neceſſe eſt, munera diſtribue. Miniſtrorum alius apparatui praeeſſe, acus ligaturis munitas ad manus habere, alius ſpongias, alius inteſtinis exitum negare debet. Operator dextrum parturientis latus occupa; ſcalpello, ſi me audias, Levretiano, conuexa acie, in eminentiore abdominis latere, vel, ſi in nullo latere eminentius fuerit, in quo vis, medio loco inter puncta, quae ſymphyſin pubis, vmbilicum, coniunctionem ſextae coſtae verae cum ſua cartilagine, et ſpinam ſuperiorem oſſis ilei a) deter-

mi-

a) STEIN *l. c. p.* 251.

minant, integumenta communia directione parum obliqua, ita ſiue complicata cute, ſiue libera manu inſcinde, vt inciſio ſex ad minimum pollicibus longa, paulum ſupra annulum abdominalem finiatur; perge per muſculos et cautiſſime per peritoneum penetrare, et dein ſupra ſpecillum ſulcatum, vel, quod tutius eſt, ſupra ſiniſtrae manus duos digitos, indicem et medium, leniter prius vnctos oleo, ſimul inter vterum carnesque abdominales immiſſo cultello ad cuſpidem globoſo ſufficienter dilatare.

Arterioſa vaſa omnia, quotquot laeduntur, ligaturis illico, antequam operatione vlterius procedas, probe liga, ne, ſi in vomitum, quod fieri vtplurimum dolemus, aegra poſt cieatur, in nouam haemorrhagiam ſoluantur.

Neque vero feſtinanter in hac re agendum eſt, ſed ita, vt quam maxime id tuto fiat. Iam vteri ſubſtantiam inſcinde, quod quidem minore negotio et periculo fit, ſi amnii liquor omnis adhuc intus contineatur: ſi aquae erumpant, operam da, vt cito, tuto tamen, et quin foetus laedatur, vteri vulnus ad parallelum vulneri in inte-

gumenta facto dilatetur, foetusque pedibus comprehenſus educatur.

Foetum eductum obſtetricis curae committe, operatam in ſpem erige et conſola, interea ſi contrahat vterus ſe, diligenter et caute ſecundinas e vulnere educ, elue molliſſimis ſpongiis e vulnere, quantum prudenter fieri poteſt, ſanguinis grumos et aliena alia; adduc dein vulneris abdominalis labia ad ſe, et plumaceola molli tecta ad ſe adducta contine tenacibus emplaſtris digito non latioribus, haec dein ſpleniis faſciisque continentibus confirma. Nunquid igitur gaſtroraphia facienda eſt? Non credimus; ſiquidem depleto ventre vulneris labia facile ad ſe adducuntur, et continentur. Illam vero factam ſymptomata inflammationis peiora reddere, et vomitum conciere credibile eſt, immo et inter vomitum carnes conſutas dilacerare: crederem igitur, faſciam continentem, quam in icone *Tab. II. Fig. V.* offero, vſui hic fors eſſe poſſe, et ſuturarum vices ſupplere.

Faſciolae quatuor *a. a. b. b.* habeant longitudinem faciendi vulneris, ſingulae harum faſciolarum aliis tribus faſciolis tam longis, vt truncum operandae intercipere poſſint; muniantur g. g. g. *f. f. f.*, ad margines faſciola-

rum

rum *a. a. b. b.* firmentur fila ſerica fortia; illa fila ad marginem faſciolae *a.* firmentur iterum ad marginem alterius *a.* ita vt fila *c.* firmentur in margine *c.* et *d.* in *d.*, atque ſic filorum reciproca decuſſatio fiat. Hanc faſciam vulneri aliquibus emplaſtris munito ita impone, vt eius medietas vulneri reſpondeat, colligatis in dorſo faſciis externis *a. b.* poteris vnire ad ſe vulneris labia, et vnita continere, diſtrahendo faſcias *g. f.* Si per filorum interſtitia videris, probe ad ſe inuicem vnita eſſe vulneris labia, dimotas faſcias *g. f.* vel ligatura, vel acubus, vel applicatis etiam emplaſtris tenacibus retine, et deſuper idonea fomenta toti abdomini impone. Per hanc vnientem faſciam vulnus oculis patet, ſatis tuto etiam contineri eius labia poſſe confidimus. Nollem equidem omnem gaſtroraphiae vſum omnino interdicere, et in hoc ſummis viris in arte noſtra refragari; volui tantum mitius aliquod remedium indicare, et aliorum iudicio ſubmittere.

Aegram iam in lectum ſitumque bonum demiſſam, cum inflammationis ſummae metus ſit, diligenter et tempeſtiue medicina, victus ratione et fomentis protege.

METHODVS DISSECTIONIS CARTILAGINIS ET LIGAMENTORVM PVBIS.

Si vero per ferias et repetitas indagationes in aperto sit talis peluis angustia, vt forcipi locus quidem non sit, neque tamen sectio caesarea requiratur, veniendum est ad synchondrotomiam. Scire vero praeprimis licet, hac operatione dolores ad partum praeueniendos non esse. Si praeuium caput est, et recte situm, relinquendus est naturae partus, vsque dum foetus occiput in pelui modo incuneari, sentire est; quod vero si secus est, et foetus situs versionem poscat, protinus monentibus primis ad partum doloribus instituenda operatio est.

Parturiens in mensam, quod quidem optimum nobis videtur, vel opportunum lectum resupinetur, ita, vt facta operatione os vteri et genitales partes externae, et tota peluis operatoris perscrutationibus, et foetus versioni, si indicetur, mox pateat; cultello conuexa acie munito, abrasis antea crinibus integumenta com-

 mu-

munia cum ſubiecta pinguedine a ſumma parte ſynchondroſeos vſque ad ſummam partem labiorum vuluae inſcindenda ſunt, vt oculis anterior ſynchondroſeos pars probe diſtinguatur; ſuperius vulnus vſque ad mediam longitudinem pyramidalium muſculorum et quae circum ſunt, aponevroſes dilatandae; inferius crus vnum clitoridis, quod inſciſſioni factae forte propius eſt, ne vel diductioni oſſium pubis reſiſtat, vel nimium vellicetur, et diuellatur, disſcindendum. Dein ſynchondroſis, repetitis ſectionibus, cultello gracili acie munito ab antrorſum, caute, ne intus veſica vel eius collum laedatur, diſſecanda. Iam ſi caput praeuium eſt, diductio oſſium naturae, et capitis incuneationi, quod tutiſſimum eſt, tecto vulnere permittenda. Si foetus vero verti debeat, neque ſufficiens pubis oſſium diductio fiat, illa cauta genuum diductione vel apto inſtrumento aliquo diductorio, quod ſimul graduum inſculptorum ope, exactam dilatationis menſuram det, diducenda ſunt, et labor dein verſionis ſuſcipiendus.

Si mala fortuna oſſium pubis ſynchondroſis oſſificatio, in quam carus magiſter meus incidit, adeſt, ſerrula ad apicem orbiculata adhibenda eſt.

Operatam dein a ſuo foetu liberam colligatis aliquantum femoribus lecto et curae antiinflammatoriae committe. A faſciis continentibus abſtinendum eſſe, et chalibeis circulis coxas complectentibus, opinamur; quod inutile ſit continere coxas, quae a natura adhuc ſatis continentur; quod iniectae faſciae abdomen et viſcera eius iam valde ſenſibilia et in inflammationes prona preſſione poſſint offendere: immo, ſi non adducantur ad ſe nimium pubis oſſa, ſpes eſt, vt tam latus callus oſſibus pubis interponat ſe, quantus fors ad alium partum feliciter reddendum ſufficeret.

POSI-

CARISSIMO SVO WEIDMANNO
PRAESES.

Annus nunc septimus est, ex quo relictis patriis laribus, nostram salutaueris Vniuersitatem; in qua cum vniuersae medicinae principiis te imbuens, Anatomiam, Cheirurgiam artemque obstetriciam prae reliquis excolendas tibi sumseris, ob dotes atque virtutes, quas in te obseruaui, opportuniorem tibi, praxin theoriae iungendi occasionem suppeditaturus, te primarium in Hospitali Iuliaeo coadiutorem meum elegi. Nec me electio fefellit: difficillimis enim operationibus meis cheirurgicis, anatomicisque laboribus ac praelectionibus non solum sedulus discipulus, sed et fidus comes, verusque amicus adfuisti. Quo factum, vt insignes difficultates, quae in addiscenda et exercenda arte nostra reperiuntur, quoad magnam partem mecum pertuleris. Manifestum profecto eruditionis atque ingenii tui argumentum est dissertatio haec proprio Marte elaborata, qua rem tum nouam tum arduam,

neque ſat determinatam, interiecto ſubinde proprio tuo iudicio, pertractaſti. Munitus nunc anatomicarum et cheirurgicarum ſcientiarum ſuppellectile ſuſcipe iter literarium, cui te EMINENTISSIMVS MAECENAS tuus gratioſiſſime deſtinauit, ingredere veſtigia, quae ante duodecim annos ipſemet feci; nolim tamen in mea iures verba, ſed recordare, quam longa ſit ars, et quam difficile ſit munus tuum, ad quod non ſolum olim docendum, ſed etiam exercendum deſtinaris. Nunquam ex animo demittas Monitum Clementiſſimi MAECENATIS TVI, ſcilicet ne mediocris, ſed excellens in tua arte ſis. Porro hoc in itinere aliorum virorum, noſtra arte inſignium methodos et operandi, et medicinam faciendi ſolerter obſerua. Vniuerſim da operam, vt et de arte, quam colis, et de republica, cuius cauſſa iter hoc ſuſcipis, poſſis bene mereri, vt omnia ſtrenue peragas, quae EMINENTISSIMVS MAECENAS tuus, quae respublica, quae aegroti (quod valde ſpero) vel poſtulare, vel expectare poſſunt. Vale, et impoſterum noſtri memor. Herbipoli IV. Calend. Septembris.

NOBILI ET DOCTISSIMO WEIDMANNO
SVO OLIM DISCIPVLO

S. P. D.

A. SENFFT M. P. P. ET O.

Quae cauſa meum Tibi a longo tempore animum conciliauerat, eadem iubet hodie egredi morem mihi ſolennem, et qui nunquam adhuc quemquam publice laudaui, Te ad cathedram aſcendentem veris amicisque votis perſequi. Ea enim praeclara ſemper fuit animi Tui indoles, ea veri cupido, ea diligentia et aſſiduitas, vt tum, quum mea adhuc collegia audiueris, iam vaticinatus fuerim, Te inſignem aliquando medicum eſſe euaſurum. Mutaſti quidem conſilium, et transgreſſus es ad chirurgiae caſtra, aſt oſtendiſti variis in operationibus, Te aeque ſolertem poſſidere manum, quam docilem animum. Gratulabar Tibi egregio Iuueni, gratulabar Patriae meae, gratulabar Praeſidi Tuo; aſt exteri fama commoti ſpem noſtram et vota deſtituere.

Quare

Quare duplex mihi hodie gratulandi argumentum obtingit; alterum, quod post tot praeclara doctrinae Tuae specimina lauream doctoralem assequaris; alterum, quod ab EMINENTISSIMO PRINCIPE ad publicum docendi munus destinatus sis: sed magis Tibi ideo gratulor, quod vtroque proemio dignissimus sis.

Perge itaque, Clarissime WEIDMANNE, *insistere vocationi Tuae, rimari naturae machinas, et optima manu medendi consilia expiscari. Noui animum Tuum, noui sinceritatem, noui indefessum studium. His raris praesidiis instructus non poteris non inseruire publicis commodis, et vel ipsam, quam Tibi praedico, inuidiam elinguem reddere.*

Vale, et me Tibi addictissimum amare imposterum non desiste.

Dabam ex Musaeo 5ta
Septembr. 1779.

POSITIONES
EX VNIVERSA MEDICINA.

I.

Neruus quinti paris ad omnia sensuum externorum organa ramos suppeditat, atque hinc merito patheticus vero nomine dicendus est, magis si spectes phoenomena physiologica.

II. *Septum narium non vnicum esse odoratus organum, docet exemplum foeminae, quae septo per morbum destituta adhuc odoratur.*

III. *Sinus frontales, maxillares et sphoenoidales ad ossium laeuitatem facti non sunt.*

IV. *Tendines insensiles omnino non sunt.*

V. *Motus humorum per vasa a sola cordis potentia deriuari non potest.*

VI. *Sanguinis foetus officina placenta non est.*

VII. *Miotomus in demonstrando musculo vteri deficit.*

VIII. *Circulatio sanguinis foetus cum circulatione matris nihil commune habet.*

)(IX.

IX. *Sanguis puram acrimoniam alcalinam non induit.*

X. *Neque vera putredo datur in ſanguine viuo, licet analogi quid detur in febre flaua, peſte.*

XI. *Morbi humorum facilius tolerantur, quam ſolidorum.*

XII. *Superuacua eſt diuiſio peripneumoniae in bronchialem et pulmonalem.*

XIII. *Pleuritidem veram eſſe inflammationem pulmonis cum* TISSOTO *ſentimus.*

XIV. *Cruſta inflammatoria non metitur neceſſitatem mittendi ſanguinis in febribus acutis.*

XV. *Difficilis et ſera hydropis pectoris cognitio fecit, vt, quantum et quid in hoc morbo paracentheſis efficiat, nondum liqueat.*

XVI. *Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcentia magis patet.* CELS.

XVII. *Hydrops medullae ſpinalis, extremitates inferiores ſiderans, tolerari ſatis diu poteſt, quin functiones reliqui corporis valde turbentur.*

XVIII. *Hydrops peritonei ſaccatus donec radices agere incipit, vix agnoſci poteſt, adultus curari radicitus nequit.*

XIX. *Tantus eſt medicus, qui ſalutarem febrim accendere, quam qui nociuam extinguere poteſt.*

XX. *Equitatio optima ſaepe medicina eſt, et prophylaxis.*

XXI. *Exercitia gymnaſtica antiquiores a multis morbis immunes praſtiterunt.*

XXII. *Sine cheirurgia medicina trunca eſt, et viciſſim.*

XXIII. *Cheirurgus a cultello abhorreat, dum mitiori auxilio locus eſt.*

XXIV. *Cheirurgo ipſimet, dum morbus externus offertur, humorum viſcerumque habitum, antequam in operationem ruat, ſcrutari incumbit; neque medicorum, manu non medentium, conſilio ſemper indigere.*

XXV. *At incipere febrim in capitis vulnere quarta die aut ſeptima, aut undecima, valde lethale eſt.* HIPP. L. II. E. X.

XXVI. *Quapropter vbi intellexeris febrem inuadere homi-*

nem (capite vulneratum) non cunctari oportet, sed os vsque ad membranam perforare. HIPP. de cap. vuln.

XXVII. *Amputationem membrorum, si certae morti hominem non eripere nefas est, surrogandam non esse, secus ac* BILGVERVS *et eius interpres* TISSOTVS, *consultum habemus.*

XXVIII. *Cruenta vero amputatio partis sphacelo correptae, qualiscunque causa fuerit, non indicatur.*

XXIX. *Diffractio insignis ossium prope articulos cum carnosarum partium insigni contusione. Saepe amputationem indicat, saepe non. Optima hic diiudicatio fit, aestimatis bene aegri aetate, viribus, visceribus, habitu.*

XXX. *Veri cancri vnicum et saepe anceps praesidium cultellus est.*

XXXI. *Hydrocele alia est per infiltrationem, alia per extrauasationem; in hac punctio, vt cura palliatiua, vsum habet, in illa non.*

XXXII. *Hydroceles radicalis cura, quae inscisione fit, largam praeprimis inscisionem poscit.*

XXXIII. *Eam vero in magna, et multo sero distenta, pro-*

tinus,

tinus, quin per aliquot ante operationem radicalem dies contento sero exitus datus sit, suscipere, periculosum.

XXXIV. *In ophtalmia recenti* D. ROWLEI *potus copiosos aquosos aegro suadere dubitat; nos secus.*

XXXV. *In cataracta lentis crystallinae simplici depressionem, utut incommodis non careat, extractioni praeferendam cum Cl.* POTTIO *censemus.*

XXXVI. *Humoris vitrei iactura aliqua effectui bono operationis non obest.*

XXXVII. *Operationem herniae incarceratae, tentatis diligenter, quae ad repositionem facere possunt, differre consultum non habemus.*

XXXVIII. *Dilatationem annuli incarcerantis a* D. LE BLANC *commendatam non adoptamus.*

XXXIX. *Herniarum congenitarum incarceratio in maius periculum praecipitat, maior et est eas operatione reponendi difficultas.*

XL. *Operatio empyematis tutissimum quandoque in phtysi pulmonali praesidium est.*

XLI. *Musculos transuersim discindere, si necessitas vrget, non dubitamus.*

XLII. *In sectione calculi tutius est inscisum aliquantisper vesicae collum dilatare, quam perscindere.*

XLIII. *Synchondroses peluis in partu dimoueri possunt, et quandoque dimouentur.*

XLIV. *Synchondrotomiam vero ex eo a natura indicari non facilius crediderim, quam per vteri rupturam ab eadem natura indicari sectionem caesaream.*

XLV. *Peluis et partium genitalium cognitio, artis obstetriciae basis, etiam obstetricibus necessaria est.*

XLVI. *Signa grauiditatis certiora habentur in exploratione oris vteri, et motu foetus.*

XLVII. *Foetus ad sui exclusionem nihil contribuit, sed omnino passiue se habet.*

XLVIII. *Vti foetus, ita placenta naturaliter solius naturae viribus excluditur. Ergo in partu naturali sibi semper relinquenda.*

XLIX. *Extractio placentae quandoque lethalem haemorrhagiam producit.*

L.

L. *In haemorrhagia vteri insigni, quae ex placenta ad os vteri affixa oritur, protinus et prudente vi foetus, licet caput praeuium rectumque in partum se offerat, verti et educi debet.*

LII. *Mulieres, quibus vlcerosi pulmones sunt, vel valde debiles, si grauiditatis terminum superent, forcipe vel versione a foetu liberandae sunt.*

LIII. *In arte obstetricia nimius instrumentorum vsus nocivus, omnem vero instrumentorum vsum interdicere, error est.*

LIV. *In foetum viuum vncos et perforatoria adigere nefandum facinus est.*

LV. *An in peluis tali angustia, quae partum caesareum poscit, abortus, vt caesarei partus periculum et dolor euitetur, procurandus est? Non.*

EX-

EXPLICATIO FIGVRARVM.

Tab. I.

Fig. I. Peluis foeminae, ex ruptione vteri mortuae nimis angusta et difformis, in naturali magnitudine exhibita.

Fig. II. Explicatur in syntaxi Dissertationis pag. 59.

Tab. II.

Fig. I. Os sacrum *a.* anchylosi hyperostotica *c.* coniunctum cum osse ilei *b.* superstite aliqua parte synchondroseos sacroiliacae *d.*

Fig. II. Os sacrum *a.* cum osse ilei sinistro *b.* perfecta anchylosi *c.* coalitum, cum magna distorsione peluis, per lineam *d. a.* indicata.

Fig. III. Os sacrum a latere exhibitum et incuruatum in angulum *a.* recto minorem.

Fig. V. Fascia vniens cuius rationem vid. in syntaxi pag. 68.

Fig. VI. Duo ossicula exfoliata. Quod *a.* notatum est, vltimo exfoliauit se, et ex duabus lamellis constat.

TAB. I